





A  
D 82  
1750

3

# FASTI SOCIETATIS JESU,

Res , & Personas me-  
morabiles Ejusdem Societa-  
tis per singulos anni dies re-  
præsentantes ,

## Operâ , & Studiō

*REVERENDI*

P. JOANNIS DREWS,

Societatis JESU ,

Prutheno Varmiensis SS. Theolo-  
giæ Doctoris concinnati.

*Operis Posthumī*

## Pars III.

Pragæ, Typis Universitatis Carolo-  
Ferdinandeæ Collegii Societatis JEsu  
ad S. Clementem , Annō 1750.



L-PZg



# I. JULII.

I. Sanctus Pater Ignatius anno 1556. tentari cœpit morbo supremo, qui illum , elabente eodem  
 mente , ad superos feliciter transmisit. Nihil amplius in votis habebat , quam dissolvi , & esse cum Christo , siquidem tria illa , quæ vehementer optaverat videre impleta, cumulate sibi concessa vident ; nimirum Societatem authoritate Vicarii Christi ritè approbatam, Libellum Exercitorum eadem authoritate communatum , & Constitutiones ab universa Societate receptas , atque in usum deductas. His abunde potitus , & visis maximis incrementis Societatis per orbem ferè universum diffusæ , ni-

hil habuit in humanis , quod amplius desideraret. *Bart. in vita l. 4. n. 30. & seq.*

2. Qui S. Patri in munere Præpositi Generalis successerat P. Jacobus Laynez, expeditus est anno 1561. à Pio IV. Pont. Max. in Galliam cum Hippolyto Card. Estensi: ut periclitanti Religioni in famoso illo Conventu Poissiaco subveniret. . Dictus enim Cardinalis efficitim petierat, viæ comitem, & laborum Socium sibi dari Laynium. Nec fellit illa spes Legati & Pontificis, multa & maximè ardua , contra hæreticos , & frigidos Catholicos feliciter aggressus , & emensus. *Sacchin. bish. Soc. p. 2. lib.*

*f. n. 133.*

3. Felix illuxit hic dies Ecclesiæ Indiæ Orientalis anno 1557. baptizato rege Baciani ( unius è quinque Moluccensis insulis ) à Patre Antonio Vazio , cum fratre natu minore, sororibus tribus , & maxima parte nobilitatis. Joannis nomen in baptismo fortitus fuit , ætate quidem vigesimum annum non supergressus , sed ingenio , prudentiâ , aliisque regiis dotibus nemini inferior ; in

in fide autem tam zelosus , & constans :  
ut vicinas insulas adiret ipse , Christia-  
nam religionem totis viribus commen-  
daret , & Soceri sui regis furorem , ac  
diras , contemneret infractus . *Bartoli  
Asiat. hist. lib. 6. n. 9.*

4. Potami in Calabria solemne Sa-  
crum decantari curavit in honorem S.  
Indiarum Apostoli Vincentius de Urso :  
quod , ipso Patrone , è carcere , in quem  
insons conjectus fuerat , feliciter eva-  
sisset . *Ex lib. mirac. Potam. n. 59.*

*Eodem die obierunt.*

5. Hispali in Hisp. annô 1605. P.  
Joannes Hieronymus , Hispanus , Eccle-  
siastæ munere , & patientiæ laude præ-  
stans . Quamvis vitam egisset ab omni  
noxa gravi immunem , inventa tamen  
est , cum Collegium Granatense rege-  
ret , mulier procacissima , quæ eum tur-  
pis flagitii accusavit . Hujus inquisi-  
tionem cum Pater Provincialis vespe-  
ri , ad lumen candelæ , comitteret Patri  
cuidam gravi , & sagaci : exhorruit is ad  
facinus impactum P. Joanni , nec dubi-

tavit , ad contestandam ejus innocentiam sibi sat̄is sup̄erque perfectam, ardenti lychno manum injicere ; quam tamdiu innoxie ustulavit, donec omnia, quæ dicenda erant, narrasset P. Provincialis. Sed luculentius testimonium , facti pœnitens dedit ipsa calumniatrix mulier ; quando acerrimis correpta doloribus , coram P. Provinciali, testibus, ac Notario publico , se ream accusavit, Patrem pronunciavit innocentem. De altera quoque calumnia splendidè triumphavit vietrix ejus patientia ; quando de crimine hæreseos à malevolo quopiam ad Gregorium XIII. Pont. Max. datus , gloriòsè est absolutus : ut jure libi accommodare potuerit illud Christi ( Joan. 14. ) *Venit Princeps hujus mundi , & in me non habet quidquam.* Plurimus nempe fructus concionum Patris, torquebat architectum calumniarum.

6. Limæ in Peruvia anno 1655. P. Paulus Æmilianus, Italus , ab indicarum linguarum peritia , animarum zelo , & diuturna patientia laudatus. Ipsos enim 20. annos oculorum omni usu orbatus , in-

in signi voluntatis suæ cum divina con-  
formitate tranquillus vixit perforandis  
rosariorum granis, quæ in pauperes ex-  
penderentur, occupatus. Ter tantum  
in hebdomada comedebat, flagris verò  
tamen acriter quotidie se accipiebat : ut  
audientibus horrorem incuteret. Tan-  
dem die, quam prædixerat, lux æterna  
feliciter ei illuxit.

7. Legione in Hispania anno 1599.  
in pretioso erga pestiferos charitatis ob-  
sequio occubuit, post strenuos labores  
Gregorius Flores : quem ibidem fecuti  
sunt in eadem arena Socii 7. Numantiæ  
verò, Salmanticæ, Villagartiæ Lucronii,  
Socii 29.

## II. JULII.

**D**Ies hic Visitanti Cognatam suam  
DEI-paræ V. sacer, duos Socie-  
tati dedit Præpositos Generales, sancti-  
tate, & sapientia eximios, S. Franciscum  
Borgiam, & Jacobum Laynez : quorum  
alter illam illustravit illustrissimo nomi-  
ne suo, & heroica virtute ; alter emi-  
nentis doctrinæ luce in Synodo Tridentina.

tina, & alibi spectabilem fecit. *Sacchin.*  
*p. 2. § 3. hist. Soc.*

2. Eodem die anno 1567. S. Borgia  
 Præpositus Generalis, convocatis in  
 Collegium Romanum Sociorum pluri-  
 mis, ac præcipuis, proposuit Regulas  
 tum communes, tum proprias variorum  
 munerum, diuturna consultatione pon-  
 deratas: atque egregia oratione earum  
 obseruationem commendavit. *Sacchin.*

*p. 3. hist. Soc. lib. n. 95.*

3. In Ægyptum anno 1561. à Pio  
 IV. ut Nuncius Apostolicus, expetitus  
 est P. Christophorus Rodericius, cum  
 P. Baptista Eliano, ad Patriarcham Co-  
 phtorum, qui à Sede Apostolica petie-  
 bat Viros idoneos, quorum operâ Co-  
 phti, gens Ægyptiaca, unirentur Ec-  
 clesiæ Romanæ. *Idem p. 2. n. 135.*

4. In Lithuania anno 1580. Collegii  
 Polocensis orta sunt primordia, Ste-  
 phano Rege authore. Cùm enim ar-  
 cem Polocensem munitissimam à Moscis  
 occupatam, magno labore expugnâisset:  
 eadem die ad P. Petrum Skargam, Col-  
 legii Vilnensis Rectorem literas dedit,  
 de

de Sociis ad fundandum Collegium expediendis quantocyus. Missi sunt initio Sacerdotes duo cum Fratre adjutore, quibus non parum negotii facevit loci Palatinus è secta Calvini. Sed prævaluit Regis optimi authoritas, & Patrum constantia. Ipso Visitationis DEI-paræ festo die in ædicula quadam deserta, SS. Apostolis Petro, & Paulo sacra, Societatis munia obire cœperunt; scholas quoque aperuerunt, quamvis quinque solum discipulis. Verùm ut alibi; ità Polociæ, fœcunda fuit Sociorum patientia, aucta tandem insignium discipulorum coronâ: nam & Ruthenorum Episcopus, & Palatinus ipse, aliique è prima nobilitate, liberos suos tradidere erudiendos. *Sacchin.* p. 4. *hist. Soc. lib. 8. n. 155.*

5. Malacam in India, hoc die pervenit, ac paulò post Japoniam ardentissimè expeditam, ac inter multa viarum discrimina, atque dispendia diu quæsitam, feliciter attigit inclytus Martyr P. Carolus Spinola, emensis 24 millibus milliarium. *Ambros. Spinola in vita.*

*Eodem die obierunt.*

6. Ad Neoportum in Belgio, anno 1600. P. Paulus Bucelinus, P. Lauentius Everardi, & P. Otho Campensis, Belgæ. Dum in Missione castrensi sauciis militibus dant aures, à victoribus Batavis comprehensi sunt. Testatus est disertè P. Paulus, qui ceteris præerat, se ac socios non Archiducis, sed DEI stipendiis militare, nec sequi castra ut milites, sed ad animas militum procurandas. Sed his magis irritati hæretici, explosis sclopetis omnes tres confitim confecerunt.

7. Lupiis in Italia, anno 1616. P. Bernardinus Realinus Italus, à DEI-patra Virgine ad societatem invitatus, & frèquenti ejus conspectu honoratus. Quin aliquando Filiolum suum DEI. Mater in ejus lectulo collocavit, & familiarissimo colloquio servulum suum recreavit. Perfectionis Religiosæ, & recollectionis animi studiosissimus, corruptus est quandoque acriter à Christo: quod quiddam negotii obedienter quidem,

dem, sed præpropere esset aggressus, non implorata ope divina. Sæpe inter orandum conspectus vultu fulgere, aliquando toto corpore scintillas jacere. Maximilianus Dux Bavariæ ab illo per literas petiit : ut sibi filium à DEO impetraret. Respondit Realinus: Habiteturum ; quod longè post mortem Patris evenit.

8. Cremfii in Germania, anno 1658.  
 P. Mathias Klinka, Moravus, zelosissimus, & laboriosissimus, per annos 30. & ultra, Ecclesiastes. Diebus Dominicis, & Festis omnibus dicebat pari fructu, & labore. Semper enim novas parabat conciones, & quas anno elapsò paraverat, donabat alicui. Compar illi aliquando anima viri nobilis probi, ac amici, suffragia petens. Miratus est Pater ; quod heri sanum vidisset, & confessione expiatum, utpote in festo Assumptionis DEI-paræ Virginis, ideoque crederet plenarias lucratum esse Indulgentias. Non negavit anima Indulgentias obtentas ; sed addidit purgatorii

torii causam novam se dedisse aliqua  
sensualitate in potu.

9. Parisiis anno 1651. P. Nicolaus  
Causinus, Gallus, vir singulari eruditio-  
ne, eloquentia, & virtute religiosa. Rex  
Henricus Magnus, sagacissimus prin-  
ceps, raram in ejus junioris vultu dem-  
ratus indolem, prædixit fore: ut Nico-  
laus, & Societati, & regno suo decori es-  
set futurus. Et certè fuit, tum ob ex-  
quisitam doctrinam, tum ob eximias vir-  
tutes, quæ ipsi nomen *Angeli pacis* con-  
ciliârunt. Ludovico XIII. à sacris Con-  
fessionibus fuit; vir animo ità compa-  
ratus: ut omnium horarum, & omnis  
fortunæ homo dici potuerit. Edidit  
multa erudito, & eleganti stylo, qui  
potissimum in ejus Paralellis Eloquen-  
tiæ, & Aula Sancta, Gallicè scripta, re-  
splendet. *Sotuellus.*

### III. JULII.

1. Accuratam Ulyssipone Romam  
ad S. Ignatium, anno 1540.  
dedit epistolam S. Xaverius, de itinere  
suo in Lusitaniam, & affectu, quô unâ  
cum P. Simone Roderico, exceptus est  
à Res-

à Rege. Inter cetera narrat, 1<sup>mo</sup> :  
 quomodo quidam è Lusitani Legati fa-  
 mulitio , qui religiosam vocationem  
 diu neglexerat , dum eques amnem  
 transmittere contendit , impetu aqua-  
 rum abreptus sit , non solùm ad mortis,  
 sed ipsius propè inferni portas ; nec si-  
 nè miraculo servatus comitum preci-  
 bus, Addit: eundem , postquam sal-  
 vus evasit , ardenti oratione conpellâ-  
 se socios : nè moram facerent Vocatio-  
 ni Divinæ. 2<sup>dd</sup> : Refert , quām pro-  
 vidè piissimus Rex omnibus Aulicis suis  
 nobilibus injunxerit , ut quot hebdo-  
 madis conscientiam expiarent ; quām-  
 que gravibus verbis ipsi ac P. Simoni  
 eorum curam commendârit , dictans  
*Si nobiles , quales esse debent , fuerint , sinè*  
*dubio plebem ad eorum mores se se forma-*  
*suram ; quare spem restituendi mores omni-*  
*um Secularium Regni , in nobilium pueri-*  
*rum proba institutione verti.* 3<sup>tiò</sup> : Expo-  
 nit , communī prudentum in Lusitania  
 judicio laudari Societatem ; quòd gra-  
 ves sibi impactas Romæ calumnias , non  
 dissimulârit tacita , nec privata compo-  
 sitio-

sitione, sed viâ juris, & publico decreto diluerit ; magnam aliâs habitura difficultatem in prosequendo Instituto suo. 4tô : Testatur, id se omni studio curare: ut nec in nobis, nec in familia-ribus nostris quidquam conspiciantur, unde suspicio cuiquam oboriri possit: temporalia nos potius, quam spiritua-lia captatum, ac conquisitum ire. &c.  
*Lib. 5. Epist. Vet. ep. 2.*

2. In Japonia anno 1577. novas sup-  
petias, Socios 13. adduxit P. Balthasar  
Lopius: siebântque ibi, DEO auctore  
insignes, ac numerosæ gentilium con-  
versiones. In ditione Sangadoni, præ-  
dictô anno, duo millia capitum, & am-  
plius, baptismo lustrata; Vocajamæ  
nullus reliquus mansit ethnicus; alibi  
supra quater mille sacro fonte expiati  
sunt, & eximiæ pietatis specimina de-  
dêre. *Sacchin. bist. Soc. p. 4. l. 5. n. 255.*  
& 263.

3. Grodnâ in Lithuania anno 1586.  
insigni epistolâ, ad Archi - Episcopum  
Moguntinum datâ, Societati famam à  
turpissima calunnia per Germaniam  
spar-

sparsa , vindicavit benevolentissimus  
Poloniæ Rex Stephanus Bathoreus.  
*Exhibit illam Sacchinus p. 5. hist. Soc. lib. 6.*  
*n. 27.*

4. Coloniæ Agripinæ anno 1642.  
piè deceſſit Maria Medicea Franciæ Re-  
gina, è cuius diſpoſitione Ludovicus  
XIII. ejusdem filius , Collegio Colo-  
niensi donavit Rosarium, ſeu Coronam  
precatoriam , qua olim uſus fuerat S.  
Xaverius. Cūm ſua Majestas ex Hol-  
landia in Angliam navigaret , in peri-  
culosa turbati maris tempeſtate , Pater  
Suffren Reginæ Confessorius, dictum S.  
Xaverii Rosarium manu tenens mari  
immersit : & mare tranquillatum eſt,  
manifesto DEI per S. Xaverium benē-  
cio. *Nadasi in memoriali indice.*

*Eodem die obierunt.*

5. Dorceſtriæ in Anglia, anno 1594.  
P. Joannes Cornelius, Hibernus, in odi-  
um fidei tentus, ſuspensus , & excarni-  
ficatus more conſuetο. Caput patibulo  
affixum, viſum eſt radiis coruſcare, te-  
ſtibus innocentia, & zeli ardentis, quō  
rem Catholicam promovebat. Morti  
glo-

gloriosæ se parabat ciliciis, flagris, jejuniiis frequentibus. Inter sacrificandum vidi aliquando viri nobilis animam, velut in sylva incensa, vix capite è flammis eminentem, ac inclamentem, *Miscremini me, &c.* Vedit idem Sacri minister: & populus, qui aderat, advertit obscurâ quadamflammâ facellum impletum. Dæmonem adegit: ut coram sacra pyxide diceret: *Agnosco in hoc Sacramento potentiam tuam, ô DEUS.*

6. In Paraquaria, Americæ Provincia, anno 1637. P. Petrus de Espinosa, Hispanus, à barbaris, odio fidei, fisso capite obtruncatus. Ipso cædis tempore, cuidam è Societate, ducentarum leucatum interjectu dissito, gloriosus apparuit, dixitque: Bene tibi sit, frater mi Juliane, ego lætus ad Superos abeo. Excolendis barbaris totum se impendit, ac superimpendit, stupenda patiens, & factus illis bubulcus, lanio, magister, & omnia.

7. Panormi in Sicilia, anno 1575. P. Paulus Mantuanus, Italus, à S. P. Ignatio in numerum Coadjutorum temporaliūm

lium receptus ; sed notatis ejus dotibus & solida virtute, Sacerdotibus aggregatus, ejusdem iussu. Pro redimendo Patre quodam, à Mauris intercepto , ultrò ipse se obtulit, servituti Maurorum mancipandum : quod cùm non impetraret , peste infectis ut serviret, impetravit, serviitque strenua usque ad mortem charitate.

8. Occaniæ in Hispania anno 1584.  
 P. Ferdinandus Marquez, Hispanus, vir admirabili erga omnes mansuetudine benignus, & supra modum amabilis. Etiam cùm à dæmone tempore somni turbaretur, mansuetudinis suæ non oblitus, tranquillè dicebat : abi hinc, sine me dormire, ita enim jubet obedientia: nunc tempus non est, ut mihi sis molestus; supra morientis conclave cœleste quodam lumen conspectum : è tumulo post annos aliquot aperto fragrantissimus odor præsentes afflavit.

#### IV. JULII.

I. Post electionem P. Jacobi Laynez in Præpositum Societatis Generalem, placuit tum ad recreandos Patres

tres congregatos, tum ad specimen doctrinæ scholarium nostrorum dandum Prælatis, civibusque Romanis, per octiduum artium, & scientiarum variarum instituere publicas concertationes. Cùm autem in Collegii angustiis, quales tunc erant, non reperiatur locus par tantis Auditoribus : Pontifex ipse Paulus IV. designavit locum non minùs capacem, quàm splendidum, & æstivis caloribus opportunum, quia frigidum; scilicet Basilicam, quæ Rotunda, & Pantheon dicitur. Ibi quotidie per octiduum in magna Auditorum, etiam Eminentissimorum, frequentia, nunc peroratum, nunc disputatum est. Postremo die Latinè, Græcè, Hebraicè declamatum: datóque dramate, quod plausum maximum tulit, tota celebritas conclusa, cum magna Societati facta accessione ad famam doctrinæ, atquæ modestiæ singularis in disputando. *Sachin. hist. Soc. lib. 2. n. 35.*

*Eodem die obierunt.*

2. In nova Francia, apud Hurones, anno 1649. P. Antonius Daniel, Gallus, post

post exultam annis 15. sylvam illam , cùm audisset Hiroquæos , capitales Huronum hostes , adventare : collegit suos in templum ; jam antè dispositos ad baptismum , sacro fonte lustravit , alios sacramento pœnitentiæ expiavit , hortatusque ad mortem strenuè , atque ut Christianos decet , oppetendam . Hodie , Fratres , inquietabat , erimus in Paradiso ; infudentibus interea se Hiroquæis obviā processit , & confessim sagittarum imbre obrutus est . Ut autem pateret , quo animo in hunc potissimum grassarentur barbari : singuli vulnus aliquod , licet mortuo inflixerent . Templum deinde injecto igne combusserunt . P. Antonius à morte cuidam sanctimoniacæ fama conspicuo semel , iterumque conspectus , impensè sua sit . ut infideles omni operâ , & diligent à juvarentur .

3. Neomagi in Belgio , anno 1624 . P. Theodorus Riswig , Belga , ab hereticis interemptus ærumnis carceris , quem in sextum mensem fortiter toleravit . Conjectus in illum fuerat ab affirmantibus , sufficere ad pœnam capitis : quod Jesuita esset .

4. Valli-

4. Vallisoleti in Hispania anno 1669.  
 P. Antonius de Escobar, & Mendoza, Hispanus, Concionator tam præstans, & validus: ut annis 50. per Quadragesimam dixerit ad populum, & sæpe bis in diem; nunquam relaxato in se rigore Ecclesiastici jejunii, nisi postremo vitæ anno, jam octogenarius, & morbidus. Sodalitates duas, Sacerdotum, & secularium ad insignem pietatem promovebat. Edidit insuper, præter varia minora Opuscula, Tomos in folio duos in Vetus Testamentum, sex de vario vitæ Ligno, septem de Moralis Theologiæ sententiis magis receptis. *Sot. in Bib. Soc.*

5. Ulyssipone anno 1618. ætatis annum agens nonagesimum Petrus Paulus Ferrerus sacrorum librorum eruditio nem omnem, historiæ veteris memoriam, rationem temporum, sic erat complexus, ut viva Bibliotheca vulgo vocaretur. Candorem sinceræ mentis, demissionem animi, benignitatem adversus omnes, quas in tyrocinium intulerat, ad extremum usque spiritum retinuit. Addiderat assiduam corporis castigatio nem,

nem, cum abstinentia, & sobrietate summa conjunctam; adeò ut spiritu quodammodo tantum vivens, præter ossa, & pellem, nulla præterea corporis parte constare videretur. Hunc cum Fernando Perezio notum illud Hispaniæ fidus Joannes Avila ad se vocat, & nostis inquit, quemadmodum Joannes Sanctissimus discipulos meliorem in scholam miserit. Hoc invitatus exemplo, nec obscurò divini Numinis impulsus instinetu, dimitto vos ex istis velut umbraculis in palæstram longè præstantiorem. Petiti à me Ven. P. Franc. Borgia, par Theologorum, qui docendi legitimam adepti potestatem, & ad omnes provecti Academiæ gradus, Eborensem Societatis scholam, ab Henrico Card. recens fundatam regant. Idoneos vos arbitratus sum, qui hunc locum imploretis. Ite, schola Christi est; huic ego vos trado, & confido fore, ut vos dignos tanto magistro discipulos aliquando præbeatis. Jvere, suscepisti, & Perez quidem per 40. annos in Eborensi, & Conimbricensi Academia docuit. *Juvencius sol. 789.*

V. JU-

## V. JULII.

1. **A**nno 1537. Venetiis Legatus Pontificius Hieronymus Veralius S. P. Ignatio insigne testimonium, & amplam facultatem dedit, sacras literas interpretandi, concionandi, confessiones audiendi, &c. Volentes te, inquit in diplomate, ob præclara virtutum dona, ac sacrarum literarum peritiam, quibus te novimus insignitum, benevolo favore prosequi, &c. *Nadasi in Indice Memor.*

2. Romæ anno 1681. post obitum Præpositi Generalis, P. Joannis Pauli Oliva, in Successorem electus est primo scrutinio, ac summo, qui unquam fuit, aut esse possit, suffragiorum concursu, nullo videlicet excepto, præterquam suo, R. P. Carolus de Noyelle Belga, Vicarius Generalis, & Germaniæ Assistens. *Ex deeret. Congr, Gen, XII.*

*Eodem die obierunt.*

3. Neapoli, anno 1586. P. Guillielmus Cood, Anglus, plurimis, arduisque per Belgium, Hiberniam, Poloniā, Mo-

Moschoviam, Italiam missionibus clarus. In Belgio lucratus est per Exercitia Spiritualia, magnum illud Ecclesiæ Anglicanæ columen, Robertum Persönium. Hiberniam per annos 6. magnas inter ærumnas excoluit. Poloniam, & Moschoviam cum P. Antonio Possevino adiit jussu Gregorii XIII. Romæ recenter fundato ab eodem Pontifice Collegio Anglicano, ea cum laude, & fructu præfuit, accensis ad fundendum pro fide sanguinem Alumnis: ut verè diceretur: *Collegia cetera esse Philosophorum, Theologorum, Oratorum. Canonorum Seminaria; at verò Anglorum Collegium Seminarium esse Martyrum.* Ex Tannero.

4. Oropesæ in Hispania, anno 1615. Petrus Carillus, Hispanus, Coadjutor. Humilem, laboriosamque Marthæ formem prætulit Cathedris, & laureis Doctorum impetrato ex classe Scholastico-rum, & Philosophia, ad Coadjutores temporales transitu. Locò humanarum scientiarum donavit eum DEUS præscientiâ futurorum. Ad felicem mortem

tem præparavit se ferreō ciliciō, quotidianā, eaque gemina sui verberatione, & una', eaque perparca comeditione per diem. Moriturus procubuit in genua, & sublatis in cœlum brachiis orans, extictus est. Cadaver, instar S.Pauli primi Eremitæ, eodem situ repertum est.

5. Compluti in Hispania, annō 1599. Ludovicus Ruiz, Coadjutor, Hispanus, obsequio pestiferorum gloriösè immortuus. Difficilem habuit ad Societatem admissionem, quod ingenio esset non solum festivo, sed etiam petulanti. In tyrocinio egregiè vexatus domi, sorisque, perstitit constans, vīctor sui ad stuporem. Coadjutoribus temporalibus annumeratus, non solum rem domesticam scitè, ac utiliter procuravit, idoneō pro tribunalibus ingeniō, & linguā promptus: verūm etiam divinam gloriam, & animarum salutem egregiè promovit Catechismi traditione, & publicis privatisque adhortationibus, in quibus & gratiâ, & authoritate pollebat plurimum ad persuadendum quidvis.

1. **R**OMÆ annō 1558. post electionem  
P. Laynez in Præpositum Ge-  
neralem ante aliquot dies factam , ad-  
missi sunt Patres congregati omnes ( vi-  
ginti solūm Electores fuerunt ) cum  
quinque Provinciarum Procuratoribus  
ad conclave Pontificis , Pauli IV. qui  
illos amēno vultu, pérque amanter , &  
prolixia , ut erat eloquens , oratione ex-  
cepit. Inprimis laudavit Electionem  
tam consentientem, atque concordem ;  
ex qua collegit , Societatem in unitate  
Spiritū ambulare , & supra firmam  
Petram, Christum ipsum esse funda-  
tam. Deinde laudatam Societatem  
hortatus est ad laborum constantiam ,  
& malorum tolerantiam : Perturbatiissi-  
mum enim inquietabat, est hoc seculum,  
quō Dominus vocavit istam beatam So-  
ciетatem. Denique confirmavit Ele-  
ctionem, & ipsam Societatem, tanquam  
Ecclesiæ Christi utilissimam. *Sacchin.*  
*lib. 2. n. 36. & seqq.*

2. Lovanii in Belgio annō 1572.  
Solemnam Votorum quatuor professio-

nem emisit P. Robertus Bellarminus, quam & excellenti virtute, & eminente doctrina, atque eruditione, cumulatè meruerat. Quamvis enim trigesimum ætatis annum nondum attigisset: humaniores tamen literas jam docuerat Florentiæ, & in Monte Regali; Theologiam quoque Scholasticam Lovaniï jam tradiderat sexennio; licet ipse biennio solum illi studuerit; semperque inter docendum, Concionibus publicis Apostolico Spiritu, & fructu maximo se se impenderat. Incidit autem opportunè is actus in diem Octavam festivitatis SS. Apostolorum Petri & Pauli Principum Apostolorum, quorum tuendæ doctrinæ, imò toti Ecclesiæ validus propugnator parabatur. Bellarminus. *Petrus sancta in vita lib. 2.*

c. 4.

3. Romæ anno 1687. post obitum R. P. Caroli de Noyelle, electus est in Præpositum Generalem R. Pater Thyrinus Gonzalez, Hispanus, vir insignis rerum Theologicarum scientiâ, & Apostolicis Missionibus per Hispaniam obitis

obitis clarissimus , ideoque Pontifici  
Innocentio XI. percharus.

*Eodem die obierunt.*

4. Mutinæ in Italia , anno 1607. P. Achilles Gagliardus, Italus. Unà cum duobus germanis fratribus, quorum ipse maximus natu erat, Societatem ingressus est. Suspexit in hac fratrum triade eas naturæ , & gratiæ dotes P. Simon Rodericus , unus è decem primis Patribus: ut negaret, si tota ex Italia delectus habendus esset, aptiores Societati inveniendos . Pater Achilles post traditas in scholis sublimiores scientias magna cum laude, regimini Sociorum applicatus , perfectum superiorum exemplar se præbuit. Dum Collegia regeret, festis diebus convocabat scholasticos nostros ad suum conclave, & cum ipsis de spirituali profectu collationes habebat magno cum fructu. Præterea virorum cœtus, mercatorum, opificum, clericorum, Sacerdotum , statis per hebdomadam diebus excolebat : cœnobia quoque Monialium, & alia pia loca frequens obibat , omnes

verbō, & exemplō ad optima provo-  
cando. Extrema ætate, memoriae, o-  
culorum, & potentiae motivæ usi de-  
stitutus, & accedente apoplexia planè  
putrescens, insigne per menses 18. præ-  
buit patientiae exemplar.

5. Barcinonæ, in Hisp. anno 1621.  
P. Alphonsus Hernandez, Hispanus.  
Quamvis nullius unquam admissi pecca-  
ti mortalis conscientiam haberet: corpo-  
ris tamen acri castigatione, & sensuum,  
præsertim oculorum, mortificatione, in  
se severus erat, Marchionem quandam,  
quam longo tempore confitentem au-  
dierat, nunquam de facie novit. Res  
elegantulas, quibus non pauci mirè affi-  
ciuntur, appellabat *Semireligiosorum i-*  
*dola*, eaque volebat, etiam cum detri-  
mento valetudinis proscribi è cubiculis.

6. Cæsaraugustæ in Hispania anno  
1564. P. Joannes Paulus Moxica, Ty-  
ronum antea præclarus Magister, tunc  
Collegii Minister, Charitati, forti ut  
mors, succubuit in obsequio pestifero-  
rum: quem ibidem partim præcesse-  
runt, partim secuti sunt sex alii Socii.

## VII. JULII.

1. **A**nnô 1497. in India Orientali, odio fidei telis confossum est à barbaris R. P. Petrus de Covillanis, Ordinis SS. Trinitatis de Redemptione captivorum, Ulyssiponensis olim Prior, deinde celebratissimo illi Vasco Gamæ, Indiarum exploratori Orientalium, & debellatori, à sacris Confessionibus, & comes navigationis. Is, antequam spiritum DEO redderet, in hoc prorupit vaticinium : Breviter novus Ordo excitatitur in Ecclesia DEI, Clericorum sub nomine JESU; unûsque ex illis primitivis Patribus, divino ductus spiritu in remotissimam Indiæ Orientalis regionem penetrabit, maximâque pars illius prædicatione ipsius fidem orthodoxam amplectetur. *Bartolus in vita S. Ignatii lib. 2. n. 47.* Ex Joanne de Figneras, prædicti Ordinis Historico, & Visitatore. Quo vaticinio manifestum est, designatam esse Societatem à S. Ignatio conditam, & fructuosissimos in India S. Xaverii labores.

2. Annô 1571. Pius V. Pont. Max.

editâ Bullâ, Cùm indefessa, &c. declaravit; Societatem ex Institutî sui ratione esse Ordinem Mendicantem, eámque aliis Mendicantium Ordinibus annumeravit, & eorum Privilegiis dotavit non solum concessis, sed etiam concedendis: voluitque has suas literas sub quibusvis derogationibus non comprehendî. *Ex literis Apost. Societati datis.*

*Eodem die obierunt.*

3. Jendi in Japonia, anno 1639. P. Petrus Cassui, Japon, in odium fidei variis tormentis interemptus. Proscriptus primùm è Japonia, Hierosolymam, & postea Romam peregrinabundus invisit, ubi Societatem amplexus est. Ut in Japoniam securus rediret, remigis personam, & labores per biennium sustinuit. Cùm nec sic proficeret, mancipii vilis formam induit, & sic penetravit. Multos persecutionis acerbitate vacillantes confirmavit, alios lapsos restituit: donec ipse insignis DEO caderet hostia in odorem suavitatis.

4. Neapoli, anno 1591. P. Joannes Pisca-

Piscator, Italus, S. Caroli Borromæi olim  
 ephebus percharus, in Societate S. A-  
 loysii Magister in tyrocinio. Oblatam  
 à P. Claudio Præposito Generali Voto-  
 rum 4. Professionem vir humilis non ad-  
 misit. Per 6. annos cilicum non exuit,  
 cruenta insuper flagellatione quotidie  
 in se desæviens, quamvis corporis, &  
 animi perpetua virginitate floreret. Vi-  
 sus non semel cœlesti splendore coru-  
 scans, divina virtute à terra sublimis,  
 & futurorum verè præscius. Cùm Re-  
 storem ageret Collegii Neopolitani, in  
 gravi ejusdem necessitate adfuit ado-  
 lescentis specie Angelus, qui accersito  
 Patri Joanni ad portam, tantum auri  
 dedit, quantum præsenti egestate suf-  
 ficiebat, evanuitque ex oculis : quam  
 Providentiam Divinam in angustiis rei  
 œconomicæ, & aliàs non semel est ex-  
 pertus. Visitator, Provincialis, & alii  
 fatebantur : illius viri præsentia, & qua-  
 dam reverentiâ se ad majorem mode-  
 stiæ severitatem duci, atque compo-  
 ni. Jam æger, prædixit cuidam è

Sociis , imminentem gravem tempestatem ; sed DEUM , DEI - param , & se quoque è cœlo ipfi adfuturos . Et verò adfuit gravissimè tentato , & periclitanti de Religiosa vocatione . Invocatus enim à tentato , bis illi vigilanti spectandum se præbuit splendida spe- cie , tertio semisomni apparuit , dixit que turbas omnes mox in fumum abi- turas : prout evenit .

5. In itinere Indico , annô 1588. de- functum , ponit hoc die Nadasi , P. Se- bastianum Morales , Episcopum Japo- niæ , contracta lue à contagiosis , qui- bus in navi eximia claritate serviebat .  
*Vide supra 27. Martii num. 3. in Gestis.*

6. Gandavi in Belgio annô 1634. ad similis charitatis præmia , cum So- ciis 8. evocatus est P. Carolus Chri- stynen , innocentia modestia , & reli- giosa paupertate eximius . Alibi quo- que in Belgio , diversis locis , eodem anno , ardore potius charitatis , quam pestifero carbone consumpti sunt no- vem .

## VIII. JULII.

I. ROMÆ anno 1602. habita est coram Clemente VIII. secunda Congregatio, & disputatio de Auxiliis gratiæ secundum doctrinam Molinæ. Selegerat Pontifex Propositiones 7. Molinæ, quarum conformitatem cum doctrina S. Augustini demonstrari sibi voluit. Harum propositionum prima, quæ secundæ huic disceptationi argumentum præbuit, fuit hæc ex Molinæ disp. 5. q. 14. art. 13. *Cum solo concursu generali DEI, absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, ac virtutis opus.* Item disp. 19. niemb. 2. §. ult. ait: *Nullum est in singulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapsæ cum solo concursu DEI generali non possit efficere.* Respondit pro Molina Gregorius de Valentia, ostenditque in primis primum ex Molina adductum textum truncatum esse, & omissa esse ea, quæ mentem Molinæ quam maximè declarare possunt. Ad-

dit enim ibi Molina: *Non tamen potest homo cum solo concursu generali facere bonum, quod fini supernaturali accommodatum sit; quodque comparatione illius bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat.* Deinde ostendit; allatis ex S. Augustino tex-tibus, Sanctum Doctorem à Molina non dissentire; atque utrumque docere: quod cum solo generali auxilio DEI possit homo quidem ponere aliquod opus naturale moraliter bonum, sed id non conducere ad finem supernatura-lem, nec habere eam bonitatem, & virtutis perfectionem, quæ requiritur ad meritum, & vitam æternam. *E-leuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 5.*

2. Annô 1600. Rudolphus Impera-tor Pragâ præclaras pro Societate de-dit literas ad Clementem VIII. Interea inquit: *Si in ullam orbis Christiani gentem Societatis JESU fructus extat; in Germaniam nostram, multitudine populorum pene immensam, adeo in omnia regna, ditionesque universas, ita multiplicem effundit: ut obscuratus superiorum temporum injuriâ, Domus*

**DEI**

DEI nitor , quasi novo sole illustratus ;  
 ubique resplendescere , Majestatēmque  
 Religionis Catholicæ primævam ad-  
 ferre videatur , ita : ut spes nobis pul-  
 cherrima sit , fore ; ut ardente Socie-  
 tatis illius zelo , ac cælesti , qua præful-  
 get , doctrinâ , diversorum errorum ,  
 sectarūmque tenebris disjectis ac di-  
 scussis , ditio omnis nostra verum DEI  
 cultum , brevi temporis intercapedine ,  
 amplectatur , &c. *Gomez in Elog. Soc.*  
*p. 2. Classe 1.*

*Eodem die obierunt.*

3. Anicii , annō 1596. P. Arnoldus  
 Vicinus , Gallus , nihil unquam à superi-  
 oribus precari solitus , nisi ut non rege-  
 ret , & in patriam non mitteretur. Jussus  
 tamen , rexit Collegia , & Provinciam ,  
 multa cum laude. Morem illum , ut  
 quisque saltēm semel generalem , & ac-  
 curatissimam ficeret Confessionem , ab  
 illo labore multo inductum , gratā me-  
 moriā recolunt Anicienses. Solus ipse  
 ad duo millia earum Confessionum ex-  
 cepit , magnō suō solatiō , & pœniten-  
 tiū fructū. B 6 4. Nan-

4. Nangasachi in Japonia , P. Ludovicus Froës , Lusitanus. Indias, & Japaniam per annos 49. multo labore, prædicatione, scriptis, & gestis excoluit; non semel exul , & à Bonziis neci destinatus , præmiō quoque propositō , qui eum interemisset. Sed servavit illum Divina Providentia plurium saluti, quam Japonicæ linguae singulari peritia , & suavitate , atque ardente orandi studio promovit. Sæpe tentavit Meaci , in urbe Japoniæ Principe, domicilium figere; sæpe indè ejectus Bonziorum artibus : donec DEO propitio , à Nobunanga , qui occupârat imperium , diploma impetravit ; quo sedes illi stabilis in ea urbe permittebatur , cum immunitate à vectigalibus , & potestate, quoquā libuisset, excurrendi , pœnis propositis, si quis obstitisset. Sed paulo post iterum à Bonzio quodam quæsitus ad necem , iterum Divinâ Providentiâ protetus est ; quievitque tandem à laboribus suis in pace. Augustinus Sancti , Japon , vir spectatæ virtutis, testatus est, visum sibi post mortem P. Ludovicum :

qui

qui defixis in cœlum, permagna inti-  
mæ pietatis significacione, oculis dice-  
bat Augustino : *Fac id, quod ego facio;*  
*& lauda DEUM.*

## IX. JULII.

I. **C**elebrata est Congregatio, &  
Disputatio tertia de Auxiliis  
Gratiæ coram Clémente VIII. in qua  
demonstravit Gregorius de Valentia,  
Molinam non dissentire à S. Augusti-  
no etiam quoad actus fidei eliciendos.  
Quamvis enim Molina disp. 7. q. 14.  
art. 13. doceat : posse hominem cum  
solo concursu DEI generali elicere af-  
fensem circa ea, quæ ad fidem pertain-  
tent ; monet tamen ibidem, quod tali  
affensus solum sit opinio, & fides hu-  
mana, merè naturalis, incerta, & fal-  
libilis, utpotè quæ non resolvitur ulti-  
mò in revelationem divinam, sed in  
humanam persuationem de revelatio-  
ne divina ; ideoque talis actus omnino  
specie distinctus est à Christianæ fidei  
affensus, qui ex supernaturali lumine,  
& auxilio Spiritus Sancti elicetur. Un-  
de

de §. Nostram sententiam, subjungit Molina de hæretico credente, quod actu merè naturali, & opinativo credat: Credit enim articulos esse revelatos, quia sibi persuaderet revelatos esse à DEO, solis nixus rationibus naturalibus. Eleuther. hist. de Auxiliis lib. 5. cap. 6. Advertendum autem: tam post hanc disceptationem à Patribus habitam, quam etiam in præcedentibus, & sequentibus Pontificem palam nihil decidisse, sed secretò cum Assessoribus suis semper egisse, nec publicatas esse eorum sententias.

2. Annō 1585. Sixtus V. Pontifex creatus, statim initio regiminis sui perbenignum erga Societatem se ostendit, contra multorum sensum, & vota. Nam, & Seminaria Clericorum à Gregorio XIII. Prædecessore suo condita, & Societatis regimini commissa, quæ putabatur eversurus, informante P. Claudio Aquaviva Præposito Generali, approbat, confirmavitque; & de ipsa Societate sic locutus est ad eundem Claudio: Scito, non multis antè diebus ad nos scriptum à Nunciorum Nostro-

strorum quibusdam ; non deesse, qui Gregorio mortuo , putent idoneum sibi tempus oblatum ad vos vexandos : quibus respondimus ( & literas ipsas pro sua benignitate exhibuit. ) Nos rebus ipsis effecturos , ut omnes intelligant ; quantum Societatem hanc amemus , & complectamur. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 25. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

3. Manilæ in Philippinis anno 1631 . P. Bartholomæus de Saura , Hispanus , JESU,& MARIÆ , Sanctorumque Angelorum cultui eximia devotione addictus : eorumque singularibus ornatus favoribus. Vidit aliquando parvulum JESUM in sinu Virginis Matris sedentem , audivitque se compellantem : *Bartholomæ , Amice mi.* Redarguit tamen illum subinde Christus : quod recolendæ Passionis suæ minus addictus esset. Ordinaria vota religiosa renovabat in horas : addidit autem illis aliud maximè arduum, faciendi semper id, quod Deo maximè placere videret. In agone ro-

ga-

gatus, quid in eo articulo ipsi maximo solatio esset , respondit : *Præsidium Beatisimæ Virginis* ; cuius opem ajebat , se etiam in minimis expertum.

4. Burdigalæ in Gallia anno 1636.  
P. Carolus Clusellus, Gallus. Profunda sui demissione , pleno sinceræ charitatis candore , & non affectatâ modestiâ certam in ipso vultu Sanctimoniacæ tesseram præferebat. Extraordinariis à DEO , gratiis honoratus , & prædicebat futura , & præsentes morbos pellebat. Tremebat tamen judicia divina , licet Virgo , & gravioris alicujus noxæ sibi non conscientius.

5. Pultoviæ in Polonia anno 1653.  
P. Thomas Porzecki , Litvanus. Post Philosophiam , Theologiāmque cum laude traditam,cum Collegii Pultovien sis ageret Rectorem , ac civitatem lues pestifera depasceretur ; dimissis ad saniora sociis , ipse remansit in Collegio : ut si quid humani contingere Patri exposito ad juvandos infectos , succederet ipse. Sed domi reperit palmam , contracta lue à famulo domestico , cui Patrem

trem simul , & servum se præstiterat.  
*Sotuellus.*

## X. JULII.

I. IN Gallia cùm Rex Henricus II. Societati eximiè addictus , accepto lethali vulnere in Iudicro certamine , præmatura morte occubuisse hoc die (juxta Spondanum ad annum 1559.) Societas , & ipsa non leviter tacta , ingemuit. Vedit enim se sublato rege , destitutam humanorum maximò præsidiò , in medio non solum hæreticorum , sed etiam novercantium Catholicorum ; sed præstò fuit Providentia Divina , aliud non leve , licet inferius , suppeditans in homine peregrino subsidium . Fuit is Ludovicus Corbinellus , civis Florentinus , quām opulentus ære , tam debilis corpore ; qui jussus à Medicis ad tuerendam , recreandamque valetudinem , varia se distrahere peregrinatione , in Galliam advenerat , & regio illi certaminis , casuique infelici interfuerat. Ubi enim advertit , res humanas , etiam in summo consistentes , & regnorum munitas præsidiis , tam facile , & cùm mi-

minimè speraveris , impelli in ruinam :  
 constituit ad securiora se recipere , &  
 mundō relictō sequi castra Christi.  
 Quām primū igitur licuit , terrenis  
 se rebus extricare , Societati se addixit ,  
 cui universæ , ac nominatim Collegio  
 Romano ingens attulit subsidium libe-  
 ralitate sua , & vitæ sanctitate . *Sacchin.*  
*bist. Soc. p. 2. lib. 3. n. 68.*

2. In Litvania , Vilnæ , anno 1678.  
 Venerabilis Pater Thomas Ujeyski , nu-  
 per Episcopus Chijoviensis , & Czer-  
 nihoviensis , atque regni Poloniae Sena-  
 tor primæ authoritatis , rarissimō ex-  
 emplō , vix finitō Tyrocinii bienniō , &  
 primis votis nuncupatis , solemnem Vo-  
 torum 4. Professionem emisit , consum-  
 matam viri virtutem honorante Præ-  
 posito Generali . Consueta Societatis  
 experimenta singulari animi tum de-  
 missione , tum dulcedine , præmisit ;  
 fuitque insigni spectaculo , quando per  
 fora , & frequentiores plateas , mantica  
 ex humero pendente , stipem petiit , tan-  
 tus nuper Præsul , & Senator . Actum  
 Professionis in templo Domus Professæ  
 Vil-

Vilnensis insigni frequentia præcipui  
Procerum Litvanorum ornârunt. *Bri-  
etius in vita cap. 33.*

*Eodem die obierunt.*

3. Deberopæ in America, annô 1594.  
P. Gundisalvus de Tapiæ, Hispanus, multis laboribus in excolendis lis novâlibus opulentus; quæ denique sanguine fusò ad majorem fœcunditatem irrigavit. Primus ad culturam Topianæ gentis, quæ homines vorat, penetravit. Cinaloenses deinde ingeniis mitiores, apud quos fur nullus, nec ullus mendicus, excoluit. Indè ad vicinos barbaros, cum P. Martino Paëz profectus, brevi duo millia capitum baptizavit. Sed cùm Nacabedam quendam senem, libidinibus immersum ad frugem reducere laboraret; ille monitoris impatiens, sicarios subornavit, qui Patri Gundisalvo brachium, & caput amputârunt, palam confessi, quod id egissent, ob vitam castam ab illo zelosiùs inculcatam.

4. In Paraquaria, annô 1619. P. Alphon-

phonsus de Aragona, Hitpanus, inde-  
fessus vineæ illius cultor, B. Aloysii vi-  
va effigies. Pater Provincialis auditio  
illo in ratione conscientiæ, dixit ad So-  
cios: Arcanum thesaurum in Alphonso  
latere. Tam inclementer se cædebat:  
ut vulnera vermibus scaterent. Orandi  
dono ad miraculum excelluit, prodigio-  
sis gratiis non semel à DEO donatus.

5. Audomari in Belgio, anno 1612.  
P. Dionysius de Sannois, Belga. Vehe-  
menter illum ad eminentem virtutem,  
& specialiter ad juvandos moribundos  
inflammavit anima cujusdam è Nostris,  
quæ è flammis lustralibus ei comparuit,  
retulitque viros Religiosos ibi atrocibus  
tormentis torqueri, ob neglectum, vel  
frigidum animas, præsertim moribun-  
dorum, juvandi studium: quod dice-  
bat: *Excelsum, & admirabile esse coram  
DEO; ideoque magnum esse in Societatem  
DEI affectum, quod illâ utatur tanquam ad-  
jutrice ad salutem animarum.*

## XI. JULII.

1. IN Italia fermebant anno 1564. pie-  
tatis, & mortificationis studia, à  
Præ-

Præposito Generali Lainio indicta universæ Societati, ad propitiandum Numen, & placandum summum Pontificem Pium IV. Conceperat enim is non levem indignationem, ob assumptum à Nepote suo, S. Carolo Borromæo, religiosius, & severius vitæ genus: quam commutationem Pontifex Societati tribuebat, tum ob tradita ei Spiritualia S. Ignatii Exercitia, tum ob familiaritatem contractam cum P. Joanne Bapt. Ribera. Unde malevoli non pauci palam jactabant: Nepotem Pontificis, ac præcipuum in sustinendo Ecclesiæ pondere adjutorem, atque unicum agendarum rerum administrum, enervatum esse à Jesuitis, infatuatum, & planè dejectum de mente. Eo denique res processit: ut Pontifex Lainio interdiceret; nè sive ipse, sive Ribera, in conspectum Borromæi venire auderent, priusquam se convenissent. Lainium, nè quanto-  
cyus apud Pontificem coram dilueret calumnias, prohibebant tum aliæ infirmitates, tum maximè ex podagra dolor pedum acerrimus, qui strato affi-

xum tenebat. Ergo ad alia media con-  
versus , jubet per totam Societatem à  
Provinciis eligi Mensem , quô Socii o-  
mnes propitiando Numini institutis  
pietatis , & mortificationis exercitiis ,  
atque Sacrificiis divinis , instarent . Ro-  
mæ delectus est Mensis Julius : qui cùm  
nec ad dimidium pervenisset ; quod o-  
lim promiserat , acceleravit bonus JE-  
SUS , ac Societati Romæ potissimum se  
exhibuit propitium ita ; ut sub Idus  
Julias licet nemine deprecante , Ponti-  
fex significari jussit Lainio per Card.  
Sabellum : se nequaquam alieno ab So-  
cietate esse animo , nec de ea malè sen-  
tire ; idque Patres propediem re ipsa  
cognituros: prout , & factum paulò post.  
Ita utilius ad divinam , quam humanam  
opem recurritur . *Sacchin. hist. Soc. part.*  
*2. l. 8. n. 12. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

2. In agro Carpentoratensi , anno  
1591. P. Petrus Pequet , Gallus , orandi  
arte , ac singulari gratia pœnitentes suos  
juvandi præstans . Mors illum reperit  
in officio heroum , inter obsequia cha-

ritatis apud peste contactos. Quam postquam oppetiit, visus non semel à pluribus in sacrificali veste, cœlesti luce circumfusus. Viri eximiam virtutem declaravit insolita lux per cubiculum, in quo decessit, quamdiu jacuit in eo corpus exanime diffusa cum odore suavissimo: nec non conspecta crux in aëre imminens corpori, cùm tumulo inferretur. Translatus est ex oppido, ubi diem obierat, in Collegium Carpentoratense anno 1626. Transferendi occasio hæc traditur. Visa per dies plurimos erat in ejusdem Collegii aræ majoris gradibus nova species religiosi hominis, induti Societatis veste, genibus nixa, splendore vultûs tanto, ut intuentium aciem perstringeret. Hanc speciem, hæc ora Patris Pequeti esse, qui olim eum viderant, agnoverunt. Itaque in eo ipso, ubi sic fuerat conspectus, loco tumulatus est. Inventum fuit in feretro, cùm exportaretur corpus, rofarium suis adhuc globulis constans, quorum unus nobili matronæ, jam diebus 10. cordiaco morbo laboranti admodus,

tus, ægram continuò persanavit. Ipse adhuc superstes infantem, antequam sacro latice perfunderetur, mortuum ab interitu revocaverat, ut virorum gravissimorum testimoniô compertum est.

*Juvencius f. 365.*

3. Aginuæ in Gallia, annô 1617. P. Bernardus Aubasius, Gallus. Suavis in illo morum indoles, sed in se sibi subigendum tam severa, & fortis: ut passionum suarum dominium visus fit consecutus. Per menses sex adeò se assuefecerat ad DEI ubique præsentis recordinationem: ut mira facilitate, & suavitate DEO semper esset intentus. In morbo amara sensim forbebat; & per ipsos 14. dies præscriptam à Medico potionem hilari vultu hausit, licet pharmacopæi incuriâ, vel inscitiâ, intolerabili amaritudine vitiatam; stupente Medico, postquam error detectus est heriocum infirmi animum, & in palatum suum dominium.

4. Hancæi in China annô 1638. P. Joannes Froes, Lusitanus. Quàm religiosus, & strenuus fuerit in illa vinea o-

pe-

perarius : docuerunt honores posthumí ipsi delati, non solum à Christianis , sed etiam ethnicis. Christiani per septem dies exequias defuncto celebrârunt, magnóque planctu Patris sui jacturam luxerunt. Ducenti ad 5. milliaria, suppli- cantium ritu, funus comitati sunt ad locum sepulturæ : cùmque transirent per portam urbis ; milites custodes , quantumvis ethnici, flexo poplite sarcophagum venerati sunt omnes , elata voce illum sancti Patris titulô honorantes. *Satuell. in Bibl. Soc.*

5. Genuæ in Italia anno 1657. P. Julius Pallavicinus , Italus Genuensis. Cùm Domum Professam Genuensem regeret ; invalecente lue pestifera , exposuit se afflitorum confessionibus excipiendis , ceciditque in heroico opere insignis victima charitatis. *Sotuell. ibid.*

## XII. JULII.

1. **A**nno 1631. Monachii in Bavaria manifestò miraculô repente sanata est à S. P. N. Ignatio clauda Virgo Anna , annos nata 19. posteaquam illi S. P. apparuit in sacrificali veste, alte-

ra manu SS. JEsu Nomen, altera librum tenens. Fusiūs hæc narrat, ac examinata rite probat Vitus Adamus, Episcopus Frisingensis, in narratione ejus nomine typis edita Monachii anno 1631.

2. Eodem die anno 1544. Coloniâ in Lusitaniam iter aggressus est P. Petrus Faber, unus è primis Societatis Decem viris. Operam Coloniæ non solum utilem, sed necessariam ponebat, quando postulante Rege Lusitaniæ, & annuente Pontifice, S. Pater illum migrare jussit. Paruit vir ad obedendum natus, incertas spes fructui præfenti præferens. Digressus est summo tum nostrorum, tum maximè PP. Carthusianorum mœrore, quorum ea fuit erga nostros benevolentia, & beneficentia: ut non tantum merita sua Societati voluerint esse communia, sed etiam temporalibus subsidiis nostros ferè sustentârint. Lovanii consensa navi, cùm ventus omnis defecisset, Faber primis precibus tam faventem imperavit: ut duas intra horas, quo totius noctis

noctis labore appulsuros se nautæ desperabant, sit appulsus. *Tanner in Societate Europæa, in vita P. Fabri.*

3. Annō 1600. cursum Evangelii in regno Bisnagarensi paululum retardavit consternatio publica. Inciderat solis defectio in hunc diem, Rex, aula, proceres cum populo, luctu, ac dolore perdit, impasti, & jejuni die toto persistiterunt, ejulantes miserabilem in modum, ac diris devoentes draconem, à quo solem, cùm deficit, vexari putant, ac propè devorari, adeò ut non priùs recipiat lucem, quām se ab ejus fauibus expedit. Hunc mœrorem de solis labore conceptum expulit anniversaria diei festi lætitia. Unum è suis Numinibus præcipuis, Perumalem nomine, genitum vaccâ ferunt, eámque ob rem vaccas, tanquam affinitate cum eo junctas, habent in honore, iisque nemo vescitur. Id fortasse ortum ab Ægyptiis, apud quos vitulus Apis in deorum numero colebatur. Tanto peregrinorum undique confluxit multitudo, tantâ diem festum munificentâ celebrâ-

runt, ut illorum dona ducentis aureorum millibus æstimata sint. Pars festi & pompæ potissima fuit, simulacrum Numinis triumphali curru devectum. Currum multa hominum millia trahebant. Rex primus rotas impulit: eas, quisquis è populo poterat contingere, in cœlo se esse credebat. Patres de stolida gentis superstitione mœstos consolatæ sunt literæ, quibus Trimalarrius, Regis Bisnagareni hæres, & nepos, in suam illos urbem Sirangapatanum invitavit.

*Eodem die obierunt.*

4. Vilnæ in Litvania, anno 1653. P. Georgius Giedroyc, Litvanus. Ejus origines à magnis Litvaniæ Ducibus repetitæ, ab ejus eximia virtute nobilitatæ sunt. Nunquam à primo tyrocinii fervore elanguit. Magno illi ad excellam virtutem subsidio fuit verborum, cibique parsimonia, & constans ad Redemptoris vulnera devotio. Indè illi animus tam innocens, ut in Societate nullam, etiam veniam noxam delibерatè

ratè admisisse , sit notatus . **Corpus** tamen tam inclementer habuit : ut acri , frequentique castigatione illud planè lacerârit , dimidiâ etiam horâ , huic piæ , sœvitiæ non raro impensâ . Tam religiosâ vitâ mortem meruit gloriosam in obsequio pestiferorum , cum 7. Sociis .

5. Bruxellis in Belgio , anno 1614 . P. Joachimus Arents , Belga . Juris prudentiæ laureâ , innocentia , sacerdotio , fidei zelo , & tolerata non una calamitate sub hæreticis turbamentis , clarus , venit ad Societatem , ad quam præmisserat fratres quatuor . Vixit in illa præclarô exemplô , geminis alis , oratione fervente , & constante corporis , animique mortificatione ad magnam perfectionem eluctatus .

6. Oveti in Hispania anno 1599 . cùm totam Asturiæ Provinciam tam sæva pestis vastaret ; ut vix tertia pars hominum superesset : primus è decade Sociorum , qui animas suas posuerunt pro fratribus , & amicis suis , ad capessendâ præmia evocatus est Joannes de Villasante . Ovetanis accesserunt eodem

anno similes Heroes per diversa Hispania loca viginti quinque.

### XIII. JULII.

1. **G**ravi languore laborare cœpit. Societas universa, quando Sanctus ejus Parens hodie, anno 1556. solito infirmior, sensit brevi instare depositionem tabernaculi sui. Itaque administratione Societatis Joanni Polanco, & Christophoro Madridio permissa, secedere extra turbas voluit; ut uni DEO, & animæ suæ vacaret residuis vitæ diebus. Re cum medico communicata, visum est, ut villam, & vineam S. Balbinæ, quam in usum Collegii Romani recenter comparaverat, secederet. Sed cum ægritudo ingravesceret; paucis post diebus Domum Professam Romanam repetiit, ibi expectaturus Dominum, invitantem in gaudium suum. *Orlandin. hist. Soc. lib. 16. n. 93.*

2. In Mexicanam Americæ Provinciam anno 1572. prima Societatis colonia delata est, & ab omnibus hominum ordinibus honorificentissimè suscepta.

Fama enim ex Europa , & Indiis O-  
rientalibus latè fusa , tam gratum ibi  
sparserat nomen Societatis : ut in So-  
ciorum amplexum certatim ruerent  
Ecclesiastici , & Politici magistratus ,  
promittentes sibi in terris illis non mi-  
nores ipsorum labores , & laborum fru-  
ctus . Quindecim constabat illa colonia  
Sociis , in Hispania lectis ; quorum du-  
ctores fuerunt Petrus Sancius Provin-  
cialis , & Jacobus Lopius Mexicanus Col-  
legii futurus Rector . Excensione fa-  
cta non ad aliud divertere voluerunt  
hospitium , quam ad nosocomium : ubi  
primam operam , & Apostolicorum  
laborum posuerunt fundamentum , hu-  
militatem . *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 8.*  
*n. 300.*

3. In Insulis Marianis , quæ alias In-  
sulæ Latronum ob incolarum feritatem  
sanguinariam dicebantur , feliciter re-  
staurari cœpta est collapsa Religio  
Christianæ ; postquam anno 1695. hoc  
die Gubernator earum Insularum , D.  
Jøsephus de Quiroga , assumptis mili-

taribus copiis cum manipulo Missionariorum nostrorum , expeditionem suscepit in munitiores insulas ; quarum incolæ ante paucos annos , nostros omnes cum præsidiariis Hispanis crudeli nece sustulerunt. Cessit feliciter negotium , domiti partim armis , partim , imò magis , clementia , & humanitate barbari , ad loca commodiora traducti sunt , & multo Patrum labore Christo iterum subiecti . *Ex literis Rom.*

*Eodem die obierunt.*

4. Syracusis in Sicilia , anno 1605 . P. Sebastianus Cabarasius , Siculus . Ad promovendum DEI-paræ Virginis cultum , & amorem , tres condidit Sodalitates , quas singulari industria , & accurata diligentia excolebat . A latronibus aliquando in itinere male multatus , tam felix , & potens fuit in exprobranda illis vita impia , ut ipsos non solum ad meliorem frugem , & generali totius vitæ exomologesim perduxerit : verum etiam aliqui ad religiosa

cœ-

cœnobia se receperint , impetratâ illis  
per P. Sebastianum à Principibus veniâ.

5. Brunæ in Moravia , anno 1659.  
P. Gaspar Aicha, Bohemus. Ad Socie-  
tatem illum impulit quidam ex amicis ,  
quem totum horrendis involutum flam-  
mis vidit. In Societate conspectu S.  
Aloysii recreatus dicitur , & probavit e-  
ximia ejus modestia ad Aloysianam com-  
posita , regularumque , & Ordinatio-  
num observantia. Foris ut biberet , a-  
digi nunquam potuit : maluitque ab a-  
mico minaciter urgente , cyathum vi-  
nô plenum , in faciem sibi effundit ,  
quàm libare. In morientis manu in-  
venta est pia formula testamenti , quod  
ante triennium condiderat : quô impi-  
mîs grates DEO agebat linguis omni-  
um creaturarum , quæ sunt in mente  
ipsius , pro beneficiis ipsi , & creaturis  
omnibus concessis , & concedendis , &  
specialiter pro gratiis , & donis , quibus  
Societatem ornavit , & ornatus est.  
Deinde offerebat corpus suum Corpori  
Christi , animam Animæ , cor Cordi ad  
amandum DEUM corde Christi , &c.

1. VEnetiis Hierosolymam solvit S.  
 P. Ignatius anno 1523. terram  
 divino Christi sanguine rigatam vene-  
 ratus. Multis conabantur amici  
 eum avertere ab illa peregrinatione,  
 ob pericula tunc solitis majora, Turcis  
 capta Rhodo, latè illo mari grassanti-  
 bus, multisque peregrinantium, nè  
 illorum manus incident, in patriam  
 revertentibus: at ille DEI, & cœli a-  
 spectu terrenos metus eludere doctus,  
 responso mirabili urgentes stupefecit,  
 alleverans: Tam certâ se vocantis DEI  
 fiduciâ niti; ut si navis deesset, crede-  
 ret, se nuda in tabula posse illuc sal-  
 vum appellere. Amicis frustra labo-  
 rantibus, successerunt Medici nihilo  
 meliore eventu. Dato enim vectori-  
 bus classico, accurrit sinè mora Igna-  
 tius, sui & morbi, quo affligebatur, &  
 medici præsentissimum periculum op-  
 ponentis, negligens, sóloque Terræ  
 Sanctæ desideriô ardens. Et adfuit  
 piæ menti bonus DEUS: pericula e-  
 nim, & incommoda navigationis ver-

sa sunt in pharmacum, salvusque, & sanus post octo supra nonaginta dies, navigationis, tenuit Saphun in Syria, & quarto post die Hierosolymam pius Peregrinus. *Bartolus in Vita lib. 1. n. 23.*  
*& 24.*

2. Argentorati in Germania anno 1576. celebris habita est disputatio in Academia heterodoxa Juvenis unius è Societate cum Doctoribus acatholicis. Joannes Hayus, natione Scotus, preclaro ingenio juvenis, Superiorum ius-  
 su, ad valetudinem curandam, è Polonia redierat in Lotharingiam Mussi-  
 pontum ; ibi cum non proficeret, ex-  
 peditus est Argentoratum ad medicum  
 Catholicum, qui ei promiserat sanita-  
 tem. Ibi dum valetudinem curat, pro-  
 positæ sunt in Academia Theses de  
 Transubstantiatione Eucharistica, pu-  
 blicè disputandæ. Confluxerat copia  
 Sectariorum, Catholicorum inventus  
 est nemo, qui pro fide verbum oppo-  
 neret. Non tulit eam ignominiam  
 Hayus ; & quamvis attritis corporis vi-  
 ribus, animo validus descendit in are-

nam, eò fidentius: quòd habitu seculari, in civitate hæretica texisset Jesuitam. Disceptatum est tam felici successu: ut omnium, etiam hæreticorum, judicio victoria steterit penes hospitem Catholicum. Moderatè tulerunt cladem doctores Academicí aliquamdiu: at ubi resciverunt, victorem esse Jesuitam, in rabiem acti, convenerunt Magistratum, ut nova institueretur disputatio cum Jesuita. Jussus ergo iterum congregati Hayus, quamvis non temerè poterat timere, nè pro ratione vis ingrueret, confisus tamen bonæ causæ, iterum disputavit, iterumque non obscuram reportavit victoriam, à studiosis hæreticis honorifice in hospitium suum deductus. Patribus nostris ubi acta innotuerunt: probârunt magis exitum rei, quām consilium: quòd juvenis, & solus, in hæretica civitate, nomen Catholicum petulantia adversariorum exposuisset. *Sacchin. hist. Soc.*  
*p. 4. n. 131.*

Eodem

*Eodem die obierunt.*

3. Trajecti in Belgio , annô 1638. Philippus Nottin, Coadjutor, Belga, dira passus ab hæreticis fidei causâ. Crucifixus insidere jussus est, manibus , pedibusque per extremos digitos ad tergum revinctis , quos manicæ,pedicæque aculeatae dirè constringebant. Collo innexum erat collare ferreum , trifarium aculeis consertum , quorum alii recti eminebant , alii sursum, deorsum alii vergebant, igne quoque admoto , quo lentè torrebatur. Ubi usta pellis intumuit in bullas , & pustulas, illis ferro aperitis, acetum cum sale,ac pyrio pulvere infusum est. Sic per ipsas decem horas torto Philippo , caput denique resecatum est , obtentu proditionis ( prout semper hæresis crudelitati suæ colorem allinit ) re vera odio fidei : ut patet è narratione à Bullonio Duce conscripta.

4. Manile in Philippinis Insulis, anno 1627. P. Thomas de Montoya , Indus è nova Hispania. Post gentes illas indefesso triginta annorum labore ex-

cul-

cultas , apud Basaias odio fidei venenum illi propinatum est , unde lenta morte contabuit.

5. Mussiponti in Gallia , annô 1654. Gerardus Dominique , Coadjutor , Gallus , omnibus fortis suæ dotibus insignis , præcipuè verò studio colloquendi de rebus piis. Comparuit post mortem cuidam Theologiæ Professori , sibi per familiari , noctu oranti , capite radiis circumfuso , quibus totum cubiculum illustrabatur ; ex ore autem splendidissima stella promicabat , velut tessera præmii pro colloquiis spiritualibus obtenti. Rogatus : an DEO frueretur ? modestè capite annuit , commendavitque impensè prædicto Patri colloquium de rebus spiritualibus , ut quod inferis amarum , superis verò gratissimum .

## XV. JULII.

1. B Urburgi in Belgio , annô 1610. S. P. Ignatius invocatus , pueræ sanitatem restituit manifestô miraculô. Gravissimis cruciata renum doloribus , febrique accedente , jam ad portas mortis deducta cùm esset , nec quid-

quidquam profuissent medicamenta, liberaliter à parente Jurisconsulto adhibita: contigit opportunè, ut quispiam Patrum nostrorum Bergâ Burburgum veniret, suaderetque, ut opem S. Ignatii implorarent afflitti; curavitque sine mora in eum finem Bergâ adferri reliquias quasdam Sancti. Concepto voto à puella de Festo ejusdem S. Communione, & præmisso jejunio, celebrando, postquam allatæ Reliquiæ parti laboranti sunt applicatæ: illicò ægra sensit, se non doloribus solùm liberatam, sed plenam sanitati restitutam ita: ut eodem die Sospitatori suo in templo gratias fundere potuerit. *Bartolus in vita S. Ign. lib. 5. n. 78.*

2. Valentiæ in Hispania anno 1662.  
 P. Ludovicus de Tapia, Procurator  
 Collegii nostri Valentini, coram officio  
 publico petiit audiri testes, deponen-  
 tes de veritate cujusdam dicti Reve-  
 rendissimi P. Thomæ Turci, Magistri  
 Generalis Ord. Prædicat: produxitque  
 hoc, & sequentibus diebus externos,  
 quatuor Doctores Theologiæ, qui ju-  
 rati

rati affirmârunt : se interfuisse celebri disputationi in Conventu FF. Prædicatorum, in qua cùm Fr. Tolosanus pro viribus propugnaret Prædeterminationes physicas, tanquam expressam S. Thomæ doctrinam , interpellans Reverendissimus Turcus semel, iterumque dixit : *Ostende mihi locum S. Thomæ, in quo Prædeterminationem defenderit, & creabo te Magistrum in tua Religione contra Constitutiones tuæ Provinciæ.* Eleuth. in hist. de Auxil. lib. 2. c. 22. Henao de scientia media, Eventilat. 8. & Henricus de Cerf Cancellarius Universitatis Duacenæ : qui addit , libro , quem de mente S. Thomæ in ea materia conscripsit, P. Turcum id repetiisse Parisiis , cùm easdem Prædeterminationes impugnaret P. Bagotius è Soc. JEsu.

3. In Anglia anno 1580. nova Edicta promulgavit Regina contra Jesuitas, & Collegiorum Ultramarinorum Seminaria, atque Alumnos Anglos ; quibus , & denunciavit reos læsæ Majestatis , & variarum in ipsamet ac Remp. conspiracyum authores ; ideoque illis aquâ,

aquâ, & igni interdixit. *Sacchin. hist.*  
*Soc. p. 4. lib. 8. n. 125.*

*Eodem die obierunt.*

4. Ulyssipone in Lusitania , anno  
 1579. P. Simon Rodericius , Lusitanus,  
 unus è decem primis Patribus Societatis.  
 È multis tentati, turbatique animi sale-  
 bris feliciter eluctatus , constanter te-  
 nuit, & impigrè decurrit viam perfe-  
 ctionis sub disciplina S. Patris Ignatii.  
 Ab hoc idoneus judicatus Apostolico  
 muneri Indianum convertendarum , in  
 Lusitaniam expeditus est cum S. Xave-  
 rio. Sed cùm ibi zelum suum in refor-  
 matione morum , & puerorum institu-  
 tione , longè latèque incredibili cum  
 fructu explicarent : Apostolorum no-  
 men meruerunt , & communi Regis,  
 Magnatumque sententiâ actum est de  
 ipsis in Lusitania retinendis. Ægrè  
 tandem dimisso Xaverio , retentus est  
 Simon , Conimbricensi Episcopatui à  
 Rege destinatus ; quem ille multis ra-  
 tionibus , & lacrymis efficaciter depre-  
 catus est , prætendens , vocationis suæ

præ-

præmia esse non honores , sed labores.

5. Ad Palmam, unam ex insulis fortunatis , annô 1570. P. Ignatius Azevedius, Lusitanus , cum Sociis 39. à piratis hæreticis , odio fidei , in mare projectis , & demersis. Ignatius arctissimo complexu imaginem DEI. paræ Virginis stringens , conculcatus , capite saucius , lanceis confossum , cùm Socios ad mortem fortiter oppetendam hortaretur, in mare deturbatus est. In alios simili crudelitate desævitum , clamantibus sicariis , *Tollendos Jesuitas in Brasiliam eunt ad prava dogmata disseminanda.* Vedit in Spiritu Sancta Theresia gloriosorum athletarum , & fortem agonem , & lauream Martyrum ipsis in cœlo donatam.

6. Coculini in India Orientali , annô 1583. P. Rudolphus Aquaviva , Italus , cum 4. Sociis in odium fidei trucidatus à barbaris. Adolescens , exemplô S. Thomæ Aquinatis , procacem fœminam titione fugavit: ab eo tempore nihil prorsus rebellionis in carne expertus. Moriens

riens pro occisoribus suis oravit ; à morte visus gloriosus , in corona gemmis conspicua , indice variarum , & non vulgarium virtutum, quibus claritatem generis sui eximiè ornavit.

7. Mussiponti in Lotharingia anno 1685. cùm sæva pestis depasceretur urbem , nec minus exitium esset à fame , è nostris , non solum in animarum , sed etiam corporum curam effusis , ceciderunt omnino decem ; & inter eos hoc die Joannes Bertrandus , impiger in sancto illo opere operarius.

## XVI. JULII.

1. **A** Nno 1576. Gregorius XIII. universam Societatem à publicis supplicationibus , seu Processionibus , & precibus exemit, *Motu proprio* , & non ad Præpositi Societatis , aut presbyterorum ejus , vel aliorum super hoc petitionem , seu instantiam , sed de sua mera deliberatione : districtiūs inhibendo quibusvis locorum Ordinariis , etiam Patriarchali , vel Archiepiscopali dignitate , ac etiam Cardinalatūs , & Legationis Sedis Apostolicæ honore præfulgentibus , & alijs

aliis personis , quacunque auctoritate fungentibus ; nè personas Societatis ad interessendum processionibus præfatis , quavis occasione , causa , seu quovis prætextu , ingenio , vel colore , directè , vel indirectè , mediatè vel immediatè cogere , molestare , perturbare vel inquietare audeant , vel præsumant , seu permittant . *Ex literis Apostolicis.* Constitutio incip . *Quæcunque sacrarum Religionum, &c.*

2. Romæ anno 1595. Venerabilem Patrem Nicolaum Lancicum , juvenem adhuc Theologicis studiis in Collegio Romano vacantem , sed diro scrupulorum tormento acriter exagitatum , conspectu suo dignatus est Dominus . Orranti post sacram Eucharistiam suscep tam , nulla hujusmodi imaginatione , aut meditatione præmissa , velut deducetâ scenâ , videndum se se obtulit augusta specie Christus JESUS , Crucem justæ magnitudinis ostentans , eidémque altera manu innixus , Nicolaum Italicis verbis sic allocutus est : *Scrupuli isti sunt Crux tua.* Unde ille non solùm nihil hor-

horroris , sed plurimum hausit solatii in multum tempus , præsertim postquam gratiosissimus Salvator beneficium suum altero favore hoc die cumulavit . Orantem enim in vinea S. Balbinæ , clara , sed interna voce admonuit : placere sibi , & DEO Patri ; ut dolorem de peccatis , & ardentissimum DEI amorem dari sibi cœlitùs peteret : id signum fore , animam suam , licet scrupulorum importunitate cruciatam , in gratia DEI esse , & fuisse . Petiit ardenter , & impetravit . Cùm enim tempore vespertino motio illa animi jam evanisset , ex subita , & vivacissima peccatorum memoria repente solutus est in lacrymas , & ita singultibus concussus , ut e Sociorum præsentia se proripere cogeretur , ad indulgendum liberiùs dolori , & amori . Mansitque indè non dubius de gratia , & amore erga se diuino . *Balbinus in Vita libri 1. cap. 5.*

*Eodem die obierunt.*

3. Mexici in America , annō 1609 . P. Petrus Sancius Hispanus . Mexicanæ Pro-

Provinciæ fundamenta jecit , Collegiis aliquot, & tribus erudiendæ juventuti Seminariis , excitatis. Ut solidam in se ipso fundaret virtutem, acri corporis castigatione quotidie, crebra inedia, & perpetua à vino abstinentia se macerabat. Cum Sanctis tanta dicitur illi intercessisse familiaritas : ut occurrentes de facie facile nosceret.

4. Hispali , anno 1648. P. Ferdinandus de Mendoza Hispanus, DEI - paræ V. addictissimus, à tenerrima ætate consueverat illam recitatō quotidie Rosariō honorare. Fuit, cùm pensi illius oblitus , cubitum concessit : sed ubi ex parte gefacto in mentem venit Rosarium oblivione omissum ; illico è strato se proripuit. Recitanti ergo Rosarium adfuit cœlesti splendore resplendens Virgo Mater, benignè hortata : ut in bene cœptis pergeret ; suam illi opem , etiam in difficillimis, non defuturam ; quod deinde cumulatè præstítit.

## XVII. JULII.

I. **P**ost celebratam in Sacro Tridentino Concilio Sessionem vigesimam

mam tertiam 15. Julii de Sacramento Ordinis, cùm de more concipiendi es- sent Canones de eodem Sacramento, delectus est ad id muneric inter alios P. Jacobus Lainius, qui Pontificium Theo- logum ibi agebat. Collegæ cùm ho- minis prudentiam , & scientiam emi- nentem haberent perspectissimam , to- tum illi negotium commiserunt : quod tam prudenter , & accuratè est execu- tus : ut nihil , sicut solebat , fuerit à Pa- tribus emendatum. *Sacchin. hist. Soc. p.*  
*2. lib. 6. n. 86.*

2. Tibure in Italia , annô 1587. in- signis solemnitas celebrata est Trans- lationis Reliquiarum sacrarum S. Sym- phorosæ , & filiorum ejus ex urbe in- templum Collegii Societatis JEsu, DEO dicatum in prædictorum SS. Martyrum honorem , erectum autem à Cardinali Matthæo Contarello. Concesserat e- nim Pontifex in favorem dicti Cardi- nalis : ut pars notabilis ex prædictorum SS. Martyrum Reliquiis , quorum cor- pora Romæ in Ecclesia S. Angeli in- Piscina , religiosè asservantur , ad no- yum

vum Tiburtini Collegii templum transferretur. Auxit solemnitatem Capitūlū S. Martyris Getulii , S. Symphorosæ viri, ac septem Martyrum Patris ; quod Tiburtinus Episcopus Andreas Crucijs , ex p̄vetusta æde S. Petri, quæ Tibure est , ut honorificentiū haberetur , in templum Societatis deportandum , ibique in perpetuum aservandum dedit. Ipse met Præpositus Generalis Claudio Aquaviva , ab Roma Beatos Patronos comitatus , cohonestandis novi templi encœniis , ad confertum populum idoneam tempori , & loco , multo audientium plausu , orationem habuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 7. n. 22.*

3. Longa quinque mensium consultatione tandem Cardinales summum Pontificem hac die anno 1691. renunciārunt Antonium Pignatellum Neapolitanum , qui Innocentii XII. nomine insigniri voluit. Cognominis Antecessoris zelum æmulatus se Ecclesiasticæ disciplinæ acerri-  
mum Assertorem à primis diebus ex-

exhibuit. Eadem constantia ab affini-  
um contubernio , & affectu temperans,  
insuper pietate , & benignitate in  
pauperes acceptissimus , quibus certum  
singulis hebdomadibus diem statuit ,  
in quo omnium querelas , & preces  
publicè exaudiret. *Brietius.*

*Eodem die obierunt.*

4. Lucronii in Hispania, anno 1564.  
P. Petrus Antonius Martinez, Hispanus,  
singulari erga lucrandas animas charita-  
te, suavitate , & dexteritate præstans :  
quibus dotibus complures obstinatos  
peccatores lucrificavit. De Rosario, cùm  
ad populum diceret, ingens cereus su-  
pra DEI paræ Virginis imaginem arde-  
re conspectus est. Unde ipsum concio-  
natorem populus deinceps appellavit :  
*Ardentem Beatissimæ Virginis Cereum.*  
Consumptus tandem est hic cereus in  
obsequio pestiferorum ; aut potius in  
splendoribus Sanctorum clarius lucere  
cœpit cum Sociis tribus eidem charita-  
tis officio intentis.

5. Apud Ciuncios in America, anno  
*Pars III.* D 1629.

1629. P. Bernardus Reuss, Hispanus, à Barbaris in odium fidei sagittis confixus, præter pretiosam Virginitatis laureolam, purpuratorum Christi pugilum laurea donatus est.

6. Mechliniæ in Belgio, anno 1613. P. Andreas Bottelberch, Belga, ob singularem in prædicandis DEI paræ Virginis laudibus facundiam, & ardorem vulgo dictus *B. Virginis Ecclesiastes*. Æger roga-  
tus, quid vellet? *Cælum*, respondit, & illuc abiit.

7. Compluti in Hisp. anno 1637. P. Alphonsus Esquera, Hispanus, eminen-  
ti virtute, & singularibus DEI gratiis  
insignis. In se ipsum severissimus, car-  
nem quotidie bis inclementer flagris la-  
cerabat, cibos nec sale, nec aliter con-  
diebat; vinum, non nisi extremis ali-  
quot mensibus, jussus bibit. Cùm ali-  
quando de Christo à discipulis in Em-  
maus euntibus coacto, ut cum ipsis ma-  
neret, meditatus cogitaret; quomodo &  
ipse eum piè cogere posset, ad manendū  
secum: internum, sed clarum respon-  
sum audivit: *Fac tibi vim, & facies illam  
mihi.*

*mibi.* Unde illi novum, ac potens accessit calcar ad se pervingendum. Annō 1621. in festo S. Angeli Custodis, vidit Angelum suum Tutelarem ad latus sibi assistentem, specie adolescentis præstantis, armati, lanceam manu gestantis. Alphonsus cum illo per cubiculum inambulans, & familiariter collocutus, cum lacrymis petiit ab eo veniam defectuum in cultu ejus, procedentem deinde ad Sacrificium Missæ, comitatus Angelus, adstitit celebranti, & post consecrationem, Christum de genibus adoravit. Sumpta S. Communione videbatur sibi Alphonsus majori cum reverentia aspici ab Angelo, totoque biduo aspectabilem habuit.

## XVIII. JULII.

**I**N Gallia civilibus bellis ardente, cum Henricus rex Fœderatis Principibus reconciliatus esset annō 1585. etiam Societas, non leviter afflita respiravit. Insimulabatur enim à malevolis, quasi Fœderatorum, qui pro re Catholica arma sumpferant, concitasse animos, & odia nutririēt contra Re-

gem, eique adhærentes. Non credebat primùm Rex , at hujusmodi sermonibus ab hæreticis , & larvatis Catholicis quotidie oneratus, offensionem tandem præferre visus est. Ceterūm Socii, quos conscientia recti solabatur , non solum inter se alta pace gaudebant ; sed etiam solitò fructuosiùs populo serviebant , DEO tantò magis propitio , quantò infestiores insurgebant homines. Euanuit paulò pòst hic turbo , quando Rex hoc die in summa Senatūs Curia , præsen- te Matre, quatuor Cardinalibus, multis- que Principibus , & populo frequen- tissimo declaravit : grata sibi esse, quæ Catholici Proceres Religionis causâ e- gissent, &c. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. l. 5. n. 134. & seq.*

2. In Litvania annō 1570. designa-  
tus, & celebratus est hic dies , ut Na-  
tal is Collegii Vilnensis , primarii in ea  
provincia. Cùm enim Valerianus Episcopus omnia , quæ ad fundationem  
requirebantur , expedivisset , & à Ma-  
gio, Provinciali tunc Austriæ, & Polo-  
niæ, oblatos ad sua , & populi sui ob-  
sequia

sequia Socios, paterno affectu complexus esset, inter largas, amoris testes, lacrymas ad Collegium honestissimo cum commitatu venit, ubi post decantatum in Sacello de SS. Trinitate Sacrum, salutatus est primùm à Professoribus Oratione Latina, tum Hebraica, & Græca; deinde à nobilibus adolescentibus carmine festivo. Mox per Diæcesim expeditis literis intimavit, constitutum esse Collegium, & scholas patere ingenuæ juventuti: diem vero decimum quintum ante Calendas Sextiles haberi Natalem Collegii, & anniversarium observari voluit. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 6. n. 20.*

*Eodem die obierunt.*

3. Avenione in Gallia, Iannō 1604.  
Petrus Doligier, Coadjutor, Gallus. Vesperi ad sacram Synaxim diei sequentis, ut se pararet, confessionem obierat: & ea nocte placidè exspiravit, matè repertus exanimis. Quamvis vero præsentium hominum ope destitutus fuerit, divina non caruit. Alter enim è Nostris

ea ipsa nocte , sensit brachio tacto se  
excitari , audivitque vocem : *Vigila ,  
DEOque commenda unum è fratribus , qui  
jam nunc agit animam.*

4. In Prussia Brandenburgica , prope  
Resselium anno 1693. P. Adalbertus  
Grabenius , parente Sueco , J. U. D. Var-  
saviæ in Polonia natus. Cùm ad Capuc-  
cinorum Ordinem adolescens propen-  
deret : à quodam è Capuccinis moni-  
tus est , ut potius Societati se daret.  
**Quam Romæ ingressus , Religiosissimum**  
**nactus est Magistrum P. Joannem Pau-**  
**lum Olivam , quo dirigente solida posuit**  
**religiosæ perfectionis fundamenta . Ter**  
**è Polonia in urbem missus ; cùm in iti-**  
**nere noctu , quidam comitum seculari-**  
**um , ad quiescentem adduxisset scortum :**  
**ille strato exiliens , gravi colapho impa-**  
**cto lenoni , prostibulum abegit . Extra**  
**Collegium visitando ægros , vel alia tra-**  
**ctando negotia , nunquam adduci po-**  
**tuit : ut more gentis hospitalem admit-**  
**teret haustum . Ad signum campanæ in**  
**omnibus punctualem se præbebat : quod**  
**cùm quidam laudaret , P. Adalbertus**  
joco

joco rē diluens: *Hoc, inquiebat, mihi mortuo scribite elogium: quod primus fuerim in lecto, primus in refectorio, primus in recreazione.* Mira pollebat dexteritate, & felicitate in dirigendis adolescentibus, quo rū plurimis implevit religiosas Domos. Ad Cisterciēses direxit 53. Franciscanos, seu Bernardinos 30. ad Dominicanos 12. ad Basilianos 5. ad Carmelitas reformatos 28. ad Brigitanos 12. ad Societatem 117. ad Carthusianos etiam, & Augustinianos aliquot. Ex omnibus vix aliquem pœnituit susceptæ vi tæ religiosæ. Redux Vilnâ ex Congregatione Provinciali, morte subita, sed non imparatus in itinere extinctus est. *Ex Annuis Col. Brunsbergenfis.*

## XIX. JULII.

I. **C**ollegium Vilnense in Lithuania, jam solidè, plenéque constitutum, prout heri intimatum, primus Rector gubernare cœpit Stanislaus Varsevicius, vir meritis, & publicâ famâ magnus. Inter hæreticos Vilnenses eminebat Andreas Volanus, è Secta Calvini, qui Palatino Vilnensi à secretis

erat. Is periclitaturus Jesuitarum inge-  
 nia, & scientiam, adjuncto sibi Andrea  
 Tricesio, & aulicorum globo, de eodem  
**Calvini** grege, Lutheranis etiam qui-  
 busdam accendentibus, profectus ad Col-  
 legium, quid Patres sentirent de Eucha-  
 ristiae Sacramento, quæsivit. Qui cùm  
 sententiam Catholicam latè, dilucidé-  
 que explicassent, tamque claris Divi  
**Augustini**, & Ambrosii, quorum au-  
 toritatem admisit Volanus, testimoni-  
 is firmassent, ut nemo nisi extremè ob-  
 stinatus, dissentire posset: quamvis sen-  
 tiret se victum; ut fateretur, adigi non  
 potuit. Patres non veriti judicium pu-  
 blicum, paulò pòst de eadem Ven. Eu-  
 charistia, & Communione sub una spe-  
 cie, publicas exposuerunt Theses. In-  
 gens confluxit, etiam hæreticorum nu-  
 merus: nemo tamen istorum, quamvis  
 humanissimè invitarentur, toto triduo,  
 quo disputatum est, ausus fuit in are-  
 nam descendere, & aliquid opponere.  
 Inter Catholicos ergo res gesta; hæreti-  
 corum argumenta fideliter sunt propo-  
 sita, & promota, sed magnificè refuta-  
 ta.

ta. Unde quantum animorum Catholice accessit, tantum audaciæ hæreticorum temeritati decessit. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. l. 6. n. 121. & seq.*

*Eodem die obierunt.*

2. Manilæ in Philippinis, año 1631. P. Laurentius Massonius, Italus, magnus in Orientali India Operarius per annos omnino 30. in castris Catholicis cùm Sacra menta ministrâsse, victoriam pollicitus est, in acie cum Crucifijo præivit, & insigni victoria potiti nostri, Ternatem insulam receperunt: ex qua P. Laurentius ingentem vim soricum sacris exorcismis ejecit. Alias cùm Batavus viator Catholicos persequeretur, præcedentem ante oculos suos Patrem vel videre, vel assequi non potuit, DEI para Virgine ipsum tutante. Coactus triduo in vepreto latere absque omni cibo, & potu, cùm siti cruciaretur, vidit repente venam aquæ ex terra prossilientem; quæ, ubi Pater sitim restinxit, evanuit. Quamvis passim vir perfectus audiaret: frequentibus tamen manabat la-

crymis qnòd diceret : nescire se, an sa-  
tis peccata sua eluisset.

3. Jaroslaviæ in Polonia, anno 1588.  
P. Joannes Hartus, Anglus. E patria fi-  
dei causâ proscriptus , post biennalem  
carcerem fœdissimum,& iteratum equu-  
lei tormentum , in Polonia portum , in  
cœlo patriam invenit. *Ex Tannero.*

4. Cali in America, anno 1649. P. Jo-  
annes Ribera , Hispanus, potens serino-  
ne , & opere ad conterenda peccatorum  
corda. Non paucis obstinatis prædixit:  
sinè Sacramentis citò morituros : quod  
& factum. Dæmoni , qui palam con-  
cionabundus , se Adamum dicebat Pro-  
toparentem , silentium imposuit. Po-  
pajanenses , & Calenses tam scitè , ac a-  
manter excoluit : ut pro ipso ægro pa-  
ratos se dicerent ex intimo cordis fun-  
dere sanguinem.

5. Taurini in Sabaudia, anno 1599.  
Christophorus Marianus , Coadjutor  
temporalis , cum Sociis 9. partim Sa-  
cerdotibus , partim Coadjutoribus , in  
maximo charitatis officio , contagiosa  
lue afflatus , religiosè decessit. Eodem  
die,

diē, anno 1611. P. Jacobus Stizius, Vic  
religiosissimus, zeloque servens Apo-  
stolico, Constantiæ in Germania cum  
Sociis decem, eidem obsequio gloriose  
immortuus est.

## XX. JULII.

I. **S**anctus Indiarum Apostolus, Xave-  
rius, post impeditam à Malacensi  
Præfecto profectionem suam ad Sinas,  
ut populis illis Evangeliī lucem inferret;  
epistolam dedit anno 1552. ad P. Ga-  
sparem Barzæum, Goani Collegii Recto-  
rem, ut omni diligentia curaret, ab E-  
piscopo Goano expediri Malacam lite-  
ras, quibus urbis Præfектus declararetur  
excommunicatus. Vix credas, inquit,  
quām fuerim exagitatus Malacæ. In Si-  
narum insulas, quæ Catoni urbi adjac-  
ent, pergo, ab humano præsidio nu-  
dus, septus tamen, ut spero, Divino. In  
speim venio, fore, ut ethnici homines in  
continentem Sinarum mihi viam aperi-  
ant; quoniam quidem Christiani illud  
iter intercluserunt, nullo Ecclesiasticæ  
notæ, & cœlestis iræ metu, quam tamen  
miseri incurserunt. Quare curabis di-

**ligenter:** ut Episcopus ad Malacensem Vicarium Excommunicationis formulam mittat, qua Præfecto Malacensi, itemque aliis, qui tam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publicè, ac nominatim sacris interdictum esse, denuncietur. Velim autem in ea formula illud poni: me à Paulo III. Pont. Max. Legatum Apostolicum missum in Indiam cum diplomatis illis, quæ ipse agnoverit Episcopus. Id ego eò facio, nè quis posthac Christianæ religionis propagationi, & piorum hominum conatus aduersetur, &c. *Epist. Veter. lib. 4. ep. 13.*

### *Eodem die obierunt.*

2. Trajecti in Belgio, anno 1638. P. Joannes Baptista Boddeus, & P. Gerardus Paesman, Belgæ, odio fidei ab hereticis interempti crudeliter. P. Joannes, Collegii Rector, per 22. horas primùm, deinde per quatuor alias dirissimè cruciatus modis, quos calamus horret, acre rubescit, deniq; securi truncatus capite. P. Gerardus crucis ferreæ, atque acutæ, colla-

collaris cuspidati, manicarum, & pedi-  
carum aculeis, ignis lenti, salis denique,  
atque aceti vulneribus infusi, tormentis  
excruciatus per horas decem; sollicitan-  
te frustra ad defectionem à fide mini-  
stello hæretico, gloriose occubuit.

3. Neapoli, anno 1656. P. Franci-  
scus Corcionus, Italus, opima charitatis  
victima cecidit in obsequio peste ta-  
ctorum. Celebrem SS. Eucharistiæ So-  
dalitatem, cuius Sodales Zitti, seu Si-  
lentiarii vocantur, quod in sacro quo-  
dam silentio sua peragant, magnâ curâ,  
multo que labore, & fructu pluribus an-  
nis administravit, & auxit. Intrà se i-  
psum se abdens, totus fuit demissio, to-  
tus charitas, totus cor videbatur. Cui-  
dam è Sociis meticuloso, nè fortè affla-  
retur peste in sacro illo obsequio, præ-  
dixit superstitem futurum; & fuit.

4. Cracoviæ in Polonia, anno 1624.  
Joannes Laskowski, Polonus, Scholasti-  
cus obiit; insignis in eo eluxit, cum in-  
signi ingenio, humilitas, quam, dum in  
scholis doceret, cum obsonatorem pa-  
lam sequeretur, & ipsis vestibus, verbis,  
omni-

omnique gestu testabatur. Quotidie acriter se verberabat : & licet nullius peccati lethalis sibi conscius videbatur, gravibus tamen conscientiae scrupulis laniabatur , ita : ut à Confessariis internus Martyr diceretur. In eos, quos vindex Justitia morte plectebat, singulariter propensus erat, juvando eos, & precibus , & acri sui flagellatione.

## XXI JULII.

I. **A** Nnô 1550, Julius III. Pontif. Max.

**A** Institutum Societatis iterum confirmavit, cum majore ipsius, & aliorum Indultorum declaratione, per Bullam. *Expositum debitum, &c.* Ex Literis Apostol.

2. In Chorano , insula modica Indiæ Orientalis , à Goano territorio modicè avulsa vetera virtutis suæ miracula renovavit Spiritus S. annô 1560. baptizatis hoc , & altero die ferè omnibus insulæ ejusdem inquilinis , partim ethnicis , partim atheis. Contra legem quandam à Prorege latam in favorem rei Christianæ , delictum fuit à quibusdam : ideoque Prorex cognitorem misit in insulam , qui de reis inquireret ;

refet ; adjunxitque duos è Patribus nostris , ut præstò essent , si eorum operam occasio aliqua deposceret. Convenerant non pauci Insulanorum in palmetum quoddam , consilium capturi de rebus suis : quos cognitor illico à satellitibus suis comprehendendi jussit , aliósque inquire . Videns senex quidam , præcipuæ inter suos authoritatis , zelum Lusitanorum pro re Christiana , prodiiit in medium , contestans , opus non esse strepitum , & vinculis , cum & ipsi omnes Christiani essent . Annuerunt unanimi voce ceteri captivi , solutique vinculis totam mox insulam percurrerunt , conclamantes Chistianos se esse , talésque omnes fieri debere . Fuit ea efficacia monentium , vel potius Spiritus S. ut nemo fuit , qui non acclamârit , convolaruntque certatim ad Patres , instrui , & baptizari petentes . Delatus nuncius Goam , Proregem , urbemque totam gaudio implevit incredibili . Nec defuit constantia , & docilitas catechumenis . Post paucos instructionis dies tantâ frequen-

quentiā ad sacrum fontem properārunt : ut cùm paulò ante vix 30. numerarentur Christiani in insula tota , paulò pòst vix ethnici 30. invenirentur. *Bartolus hist. Asiaticæ lib. 7. n. 46.*

3. In Gallia Burdegalense Collegium , annō 1574. triplici turbine concussum est. Unum , alterūmve facile , & gloriösè sustinuit , tertius Philosophiæ Professorem illi eripuit. Fuit is Joannes Pugetus , qui absoluto cursu Philosophico , existimans , se plus gloriæ , aut lucri capturum , si ad Collegium Aquitanicum , quod secularium est , deserta Societate transiret : hoc die sacrilegus apostata erupit è Collegio , non sinè vulnere inficto resistenti sibi Professori Theologiæ. Præstò fuerunt discipuli , nec alii defuerunt , qui hominem tuerentur : sed tandem non à liud lucri habuit , quàm ut è Societate ejectus , vitam miseram ageret inglorius. *Sacchin. hist. Soc. lib. 2. p. 4. n. 710.*

*Eodem die obierunt.*

4. In mari Japonico , anno 1573. P. Consalvus Alvares. Lusitanus, orandi, & stata æris campani tempora observandi studio memorabilis. Contigit : ut in horto die recreationis, auditō signō primō ante prandium; in odeum se recipereet Consalvus conscientiam introspecturus : horæ quadrante elapso , & altero signo vel non dato , vel non auditō , cùm ceteri ad triclinium convenissent , & à mensa solitæ animi relaxationi vacassent ; ille omissus, seu neglectus , per ipsas octo horas in odeo genibus flexis orationi institit , donec sub tempus cœnæ isthic reperiretur. Provectior ætate , missus in Japoniam Visitator , multa tulit , fecitque , donec in mari , hoc die , haustus naufragio , in litore inventus est mortuus , sed orantis instar genibus humi positis , manibus verò sublatis in cœlum.

5. In Civitate Regali , anno 1585. P. Jacobus à Costa , Hispanus. In pulpite scholæ , in cathedra Ecclesiæ , in reoratio-

etione Provinciae fuit vir tantus : ut inter suæ ætatis primos haberetur. Castiliæ Præses unà cum ceteris Proceribus eum invisurus , dicebat : Eamus , visamus unum ex antiquis Ecclesiæ Sanctæ Doctoribus. Elapsis à morte annis 30. corpus ejus repertum est incorruptum.

6. Baroli in Italia , anno 1639. P. Christophorus Corquera , Italus. In Barolitano Collegio per ipsos 46. annos magno præstantissimæ virtutis nomine vixit. Insigni prophetiæ dono videbatur instructus Inter cetera matronæ uterum ferenti dixit : Velle se prolinomen dari Ignatii : & illa masculum enixa est. Eidem iterum gravidæ. Hunc , inquit , Franciscum vocabimus , respondit prædictioni , & hic partus masculus. Tertiò grida Patrem Christophorum de nomine consuluit : & ille rem silentio dissimulanter involvit , & illa fœminam peperit.

## XXII. JULII.

I. **M**Agnum columen Societati , tempestate multiplici concutiendæ , admovit Providentia Divina , quando  
annæ

anno 1587. in ipsis Sanctæ Magdalenz  
feriis in tyrocinium ejus deduxit Clau-  
dium Aquavivam, filium Ducis Atriæ,  
jam annos 25. natum , literis egregiè  
exultum , & in Curia Pontificia Pii V.  
Cubicularii munere fungentem. Stu-  
puuit mundus , benedixit S. Pontifex  
Pius , incrementum amplissimum de-  
dit DEUS , ut nobilissimus tyro cre-  
siceret in millia , Societatis olim Præ-  
positus Generalis. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

2. De auxiliis gratiæ celebrata est  
quarta Concertatio coram Clemente  
VIII. anno 1602. Propositio ab adver-  
sariis ex Molinæ disp. 9. desumpta  
fuit hæc: *Cùm quis edocitus fuerit , super-  
naturalem assensum esse ad salutem necessa-  
rium , viribus naturalibus potest optare ita  
credere , atque etiam conari , ex dono , &  
auxilio supernaturali assentiri , denique po-  
teſſ petere , ut auxilium illud sibi donetur ,  
& ad illud recipiendum satagere se dispo-  
nere. Sed respondit Gregorius de Va-  
lentia : in primis textum non esse inte-  
grè citatum ; omissa esse , ex quibus vel  
maximè mens Molinæ elucescere po-  
test ,*

test, expressè docentis : Omnem illum  
conatum merè naturalem esse , & omni-  
no insufficientem , & non idoneam dis-  
positionem ad obtainendum lumen su-  
pernaturale gratiæ Fidei. Deinde o-  
stendit citatis textibus ante Molinam  
idem docuisse S. Augustinum , atque  
concessisse , quod finè gratia superna-  
turali possint haberi actus naturales co-  
gnitionis , desiderii , & petitionis cir-  
ca objecta supernaturalia. *Eleuther. hist.*  
*de Auxil. lib. 5. c. 7.*

3. In Anglia , anno 1581. gloriosus  
Christi pugil , P. Edmundus Campia-  
nus, proditus , & captus, in vincula , &  
arcem Londinensem conjicitur. Ca-  
ptivis aliis , qui unà ducebantur , præ-  
ibat Campianus , manibus post terga  
revinctis, pedibus ventri equi , quo ve-  
hebatur , adstrictis , titulo in galero à  
fronte , & à tergo uncialibus literis affi-  
xo : *Campianus Jesuita seditiosus.* Hic  
honos uni illi habitus est. *Sacchin. hist.*  
*Soc. p. 5. l. 1. n. 227.*

*Eodem die obierunt.*

4. Nangasachi in Japonia , año 1633.  
The-

Thomas Nicofori, Japon, odiō fidei interemptus. Ante, & post initam Societatem multum operæ , & industriæ contulit ad commoda rei Christianæ. Idcirco primùm exilio mulctatus , pòst in Japoniam redux , flammis addictus , illustri morte claram virtutibus vitam adornavit.

5. Majoricæ , annō 1587. P. Bartholomæus Cochius, Hispanus. Exempli Sanctimoniam , & dicendi robore magnam frugem fecit. Una illius concione aliquando octo obscœnæ mulierculæ conversæ sunt. Incredibili licet siti arderet, ab hydrope accensa ; nunquam tamen vel guttulam amplius sumpfit , etiam cum præcesset, aut ad populum diceret, quam quantum medicus , & valedicinarii minister jubeant. Aderat morienti Alphonsus Rodriguez , viditque cœlos apertos ad excipiendam à cœlitibus P. Bartholomæi animam.

6. Apud Malabares, in India Orientali, annō 1656. P. Emmanuel Martinus, Lusitanus. Multa pro fide scripsit, ac passus est; præter ærumnosos carceres,

bis

bis crudelissimè vapulavit, quater in exilium ejectus est. Sæpius à Jognis sacrificulis ad necem quæsitus ; sed ab ipsis etiam ethnicis ob Sanctimoniacæ opinionem defensus. Totis triginta, & amplius annis, quibus ibi laboravit, nunquam carnibus, aut piscibus usus est ; cibo alio tam parcè vitam sustentans, ut perpetuò jejunare diceretur. Virgineum corpusculum suum tam inclementer habuit : ut nunquam lectō sit usus, vestes nnuquam ad nocturnam quietem exuerit, etiam cum febribus æstuaret, quotidie flagris dirè se conciderit. Christianos suos tam diligenter excoluit : ut multi Novitiis Societatis similes videbantur.

7. Ulyssipone in Lusitania, cum dira pestis, vulgo *Magna dicta*, anno 1569. urbem copiosissimam depopularetur, ingens incessit Socios ardor profiliendi in apertissimum discrimen ad opem misericordia ferendam. Ipse Provincialis Leo Henricius chorum ducere ardebat, fecissetque omnino, nisi graviorum Patrum precibus, & authoritate inhibitus fuist-

fuisset. Primus in eo sancto opere hoc die occubuit P. Alphonsus Ægidius, vir religiosissimus : quem secuti sunt tredecim alii , non degeneres ab Apostolico instituto suo. Supra dena enim infirmorum millia curæ suæ habuerunt commissa.

### XXIII. JULII.

I. **A**ntequam Controversia de Auxiliis Gratiæ devolveretur ad ipsum Pontificem Summum , Clemencem VIII. ex ejusdem dispositione commissa est Cardinali Madrutio : ut si fieri posset , partes componeret. Post varias adversariorum tergiversationes , recusantium Prædeterminationem , physicam subjici examini , seu concertationi publicæ , prout disertè testatus est Cardinalis Asculanus illorum Patronus ; concinnârunt ipsimet ex doctrina Societatis Propositiones duas de efficacia Gratiæ , ad quas disertè responderent Theologi Societatis. Acceptas hujusmodi Propositiones Card. Madrutiis hoc die misit ad Cardinalem Bellarminum , expendendas , & communis-

candas Societatis Theologis. Respon-  
derunt isti sinè mora, dilucidè, & ner-  
vose exponendo doctrinam Societatis  
in ea materia. Scriptum hoc obtulit  
Cardin. Madrutiū PP. Dominicanis  
expendendum : qui super illo Obser-  
vationes 27. conflârunt, & Cardinali  
porrexerunt. Theologi Societatis  
confestim prædictas Observationes to-  
tidem Notationibus diluerunt : insuper  
ex ipsis octo collegerunt Propositio-  
nes, in quibus ambo ordines dissenti-  
unt, postulârûntque eas discuti dispu-  
tando. Sed adversarii, nè extrahe-  
rentur ad defendendas Prædetermina-  
tiones, maluerunt reverti ad privatam  
Molinæ causam, vires omnes in con-  
demnationes Libri ipsius converten-  
do : ut non directè, sed per latera Mo-  
linæ configerent Societatem. *Eleuth.*  
*bif. de Auxil. lib. 3. cap. 12. § 13.*

. 2. Devolutâ deinde Controversiâ  
prædictâ ad ipsum Clementem Pon-  
tificem, habita est coram eodem an-  
nô 1602. hoc die **Concertatio quin-  
ta**, super hac Molinæ propositione :

*An*

*Ante receptionem Gratiae, in ipsa gratiae receptione, & postea in augmento illius, suum locum DEUS arbitrio libero reliquit, ut ei propria industria, & laus servaretur.* Respondit Gregorius de Valentia: eam propositionem: si accipiatur integrè, prout exstat in libro Molinæ, non modò consentaneam esse doctrinæ S. Augustini, sed omnino certam esse ex fide. Ità enim loquitur Molina in disp. 9. *Ante receptionem gratiae, & in ipsa gratiae receptione, & postea in augmento illius, suum locum DEUS libero arbitrio relinquit: quatenus ità ipse auctor esset omnium bonorum, omniq[ue] ei accepta referrentur: ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Quæ omnia Catholicam esse doctrinam, evicit ex Decretis Concilii Tridentini. *Eleuther. de Auxil. lib. 5. c. 8.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Peruvia, anno 1596. P. Antonius Lopez, Hispanus. Doctrinâ, animarum zelô, sui demissione magnam sanctimoniaz famam sibi comparavit.

*Pars III.*

*E*

*Qui*

Qui corpus ejus à morte curârunt, testati sunt, admirabili odore illud fragrâsse. Venenô sublatus dicitur à barbaris, quorum intemperantiam, aliâque scele-ra insectabatur, ut emendaret.

4. Avenione in Gallia , annô 1598. Michaël Suarez, Coadjutor, Gallus, cùm ruri degeret, œconomiæ curandæ causâ, & à procacibus fœminis non semel tentatus, in genua procumbebat, & formulam votorum religiosorum ardenter recitabat: ajebâtque id sibi semper præsentissimo remedio fuisse. Eam sibi fixerat, servabâtque legem : ut si inopinatus quispiam eventus illi tempus Meditationis, vel Examinis eripuisset : nihil omnino cibi admitteret, nisi priùs orandi, & se examinandi tempus accuratè explêisset.

5. Eboræ in Lusitanâ , cùm annô 1580. diræ contagio ingentem civium stragem edidisset, absumptis etiam è Nostris quatuor in pretioso charitatis obsequio : recruduit eadem annô 1585. & quinque alios in eodem sancto opere, extinxit , si tamen extincti sunt, quos lux

lux æterna pleno jubare exceptit. Hoc die P. Antonius Sequeira donatus est immortalitate. Eodem die in eodem obsequio anno 1599. gloriosè deceperunt Compluti in Hispania Petrus Lozanus, & Didacus Garces, quos secuti sunt alii quinque Socii.

## XXIV. JULII.

I. **G**Uilielmus Bavariæ Dux, anno 1601. egregiam dedit epistolam ad Clementem VIII. pro Societate, & ejus doctrina ; commotus rumore, quem latè sparserunt adversarii, de jam jam condemnando libro Molinæ à Pontifice. Exponit 1. Academias Catholicas ferè omnes, præser-tim in partibus septemtrionalibus, stare pro doctrina Societatis, diu multùm probata, atque utili Ecclesiæ. 2. Quan-topere Societas laborârit, & laboret pro Sede Apostolica contra hæreticos. 3. Quam lætitiam sint concepturi hæretici ex condemnatione doctrinæ Societatis, quâ vel maximè sentiunt, & dolent sua everti dogmata. Denique o-

rat : ut insolentiam adversariorum, præjudicantium Apostolicæ Sedi compescat. *Ex Disquisitionibus in historiam de Auxil. gratiae, parte 2. cap. 12.*

2. In Japoniam anno 1579. feliciter pervenit, ac opportunè P. Valignanus Visitator, cum Sociis duobus ; tanquam gubernator Divinâ submissus Providentiâ, qui in tempestate , quæ Bungensem Ecclesiam gravissimè jactabat, clavum teneret. Jam cum ipso, & aliquot indigenis mox receptis, Socii in Japonia 65. censemabantur; Christiani ad centum millia in fide fortes, quamvis innumeris periculis , & persecutionibus expositi. Numerum ipsum sub idem tempus auxerunt duo latrones, ipsis in crucibus baptizati. Adeò latronibus favet crux, eique confine est cœlum, per quam & partum est ; inquit Sacchinus *hist. Soc. p. 4. lib. 7. n. 344.*

3. In Belgio Antverpiæ anno 1635. Reliquiis & ope S. Ignatii repente sanata est puella, Maria Bonnieria, hydrope , & compluribus aliis gravissimis mor-

morbis , per annos aliquot toleratis ad  
extrema deducta . Incidit tandem e-  
jus Confessario cogitatio : ut afflictam  
excitaret, quatenus S. Ignatio impensi-  
us se commendaret ; in quem finem  
ei quasdam Sancti ejusdem Reliquias  
tradidit . Apprehendit consilium æ-  
gra , & injectis collo Reliquiis , subla-  
tis in cœlum oculis , sic oravit : Domi-  
ne DDUS , quatuor jam annos volun-  
tati tuæ morem gero ; te per S. Ignati  
merita supplex oro , mihi quoque  
ut semel morem geras . Sana ægrotan-  
tem ; & spondeo , me vitæ reliquum  
tuo cultui daturam . Te Sancte Pater ,  
cujus effigies sola dæmonem toties ab-  
egit , supplex oro : ut per has tuas Re-  
liquias à me hos morbos depellas . Di-  
xerat : & in placidum 5. horarum so-  
mnum lapsa , quem octiduo non vide-  
rat ; ubi ex parte facta est , sensit se  
plenè sanari , vestes ipsamet induit , &  
per scalas numerosas suis viribus de-  
scendit ad parentes : qui consternati  
putârunt animam esse filiæ jam defun-  
ctæ ; sed de miraculo edocti , hilares

cum filia ad Ecclesiam properârunt ;  
**DEO**, & Sancto debitas relaturi gra-  
tias. *Bartolus in vita S. Ignatii lib. 4. c. 20.*

*Eodem die obierunt.*

4. Conipluti anno 1572. P. Petrus de Saavedra, Hispanus. Cùm per mor-tem conjugis solutus vinculo matrimoniali, deliberaret de mutando vitæ statu, sepulchrū S. Didaci accessit, suppliciter petendo consilium, audivitq; in primis strepitum sacri Corporis, deinde vocem : **E** majore **DEI** gloria fore, si Societati no-men daret. In Societate ità vixit : ut ma-jorem **DEI** gloriam semper præ oculis habere, sempérque in omnibus stu-diosissimè quærere videretur. Cùm pri-mam **DEO** litâisset hostiam, spectandam se ei obtulit uxor defuncta, magna luce illustris : gratias egit , quòd promissi memor , primum sacrificium pro illius salute obtulisset.

5. Mediolani, anno 1634. P. Co-smus Alamannus, Italus. Pater ejus primus fuit , qui Societatem Mediola-num appulsam, hospitio excepit, eo ho-spita-

spitalitatis pretio : ut quinque ejus filii in Societatem immigrârint. Obediendi, & orandi artibus, à DEO putabatur impetrare Gosmus , quidquid peteret. Quàm enim promptè audiebat Superiores , tam promptè audiebatur à Deo. Pro tessera sui in DEUM affectûs, idem usurpabat verba illa : *Laudetur DEUS! Benedictus DEUS!*

6. Novellariæ in Italia , annô 1656. Gerardus Angelinus , Coadjutor Italus. Inter orandum cœlestes delicias non semel degustavit. Cùm aliquando anxius de salute sua totô animô æstuaret , vocem divinitus audivit: Bonô esset animô , utpote Electis adscriptus : neque hæsitaret id agere , quod spiritualis Pater præscribereret. Paucis ante mortem diebus idē felicissimū nuncium accepit ab Angelo : ut animo esset erecto ; avide ipsum ab Angelis expectari in cœlo.

## XXV. JULII.

I. **P**ius IV. Pontifex Maximus aliquantum alienatus , ut dictum II. Iulii , placatum jam , & benevolentissi-

mum Societati se exhibuit anno 1564. Lainium enim Præpositum Generalem, jam melius valentem, Cardinalis Sabellus accersivit, retulitque: deliberatum Pontifici omnino esse, Seminarii Romani prourationem, quam multi ambiebant, vel Societati invidebant, tradere Patribus: postridie ipsum Pontificem id significaturum Lainio. Nec distulit, valdeque benignum ei se, retéque de cuncto Ordine sentientem ostendit; addens: in animo sibi esse, domum Professorum, Collegium Romanum, atque Germanicum visere postero die: ut palam omnibus faciat, cordi sibi esse eam familiam. Quod quidem ob impedimenta occurrentia non præsttit die designato, fecit tamen pridie Calendas Augusti. *Sacribin. hist. Societ. p. 2. lib. 8. n. 16.*

2. In Japonia anno 1587. dira cœpit Christianorum persecutio mota ab Imperatore Taycosama. Exhibuerat ille se nostris, ceterisque Christianis benevolentissimum, privilegiis etiam rem

rem Christianam firmârat ; quæ ipso favente , ità jam invaluerat : ut è sola Societate in Japonia numerarentur Socii centum, & quinque supra triginta, Christianorum autem ducenta millia , & suprà. Imò Imperator ipse P. Provinciali Coellio disertè affirmavit : se quām primū medium partem Japoniæ Christo subacturum. Sed momentō tota serenitas in horridam versa est tempestatem. Pridie Patri Coellio familiarissimus, ipsa illa nocte ab Alcui- no medico suo in rabiem actus ( quòd Christianam fœminam ad illius fœda desideria flectere non potuerit ) Prin- cipem Christianum Justum Ucondo- num , bonis omnibus exutum , proscri- psit , postera autem die S. Jacobo Apo- stolo sacra , Patres omnes intrà dies 20. è Japonia exesse jussit. *Windenfeld in e- pist. ad P. Oliva Præpos. Gener. data anno 1679.*

3. In Hispania anno 1667. Serenissima Mariana Austriaca, Regina, & Gu- bernatrix Hispaniarum, in Universi- tate Complutensi Societati contulit ,

assentiente Universitate , Cathedras duas Theologicas , alteram Primariam , alteram Vespertinam. *Gomez in Elogiis Societ. part. 2. Class. 2.*

*Eodem die obierunt.*

4. Belmonti in Hispania , añô 1580. magnus DEI Servus P. Balthasar Alvarez, Hispanus. S. Therefia non solum inter sacrificandum cœlesti splendore circumfusum vidit , sed etiam divinitus intellexit , inter eos , qui tunc vivebant , neminem illo esse perfectiorem. Singulare pollebat arte, pœnitentes suos , præsertim Societatis tyrones , ducendi ad insignem perfectionem. In domo Lau-retana DEI para Virgo singularem erga Sponsum suum S. Josephum pietatem ei commendavit. Morienti adfuere S. P. Ignatius , & Angeli lectulo circumfusi.

5. Pragæ in Polonia , annô 1649. P. Martinus Benedictus, Moravus. Quidquid illi dabatur in mandatis , securus erat Superior , id ab eo accuratissimè perficiendum. In heroica charitatis pa-

la-

lastra egregiè versatus, serviendo pesti-  
feris, cùm semel superstes evasisset: i-  
teratò postea caput devovit, & prostra-  
tus coronatus est.

6. Czestochoviæ in Polonia , annò  
1657. P. Guilielmus Rose , Gallus, Lu-  
dovicæ Reginæ Poloniæ Confessarius.  
Suavis erga alios, durissimus erat in se i-  
psum. Lectulus illi erant nudi afferes ,  
cervical liber unus, & alter, humile sca-  
mnum, & sedes , & mensa. Toto anno ,  
Dominicis ferè tantùm exceptis,jejuna-  
bat. Cùm catenam cuspidatam supre-  
mùm æger in lateribus gestare jam non  
posset, morbo, & majorum imperio pro-  
hibitus : gestabat illam è collo, tanquam  
captivum DEIparæ mancipium, ut aje-  
bat. In morbo quiodam comparens ei  
S. Nicolaus Episcopus, monuit : ut suam  
opem imploraret. Idem Sanctus exhi-  
buit P. Guilielmo varias schedas, singu-  
las his vocibus inscriptas : *Polonia vasta-  
bitur, at orandum.* In ultima hoc lege-  
batur : *Polonia restituetur in integrum ,  
at orandum.* Divinum id fuisse ora-  
culum, docuit eventus. Obiit religio-

sissimus Aulicus die, & horâ prævisis ; ante, & post mortem prodigiosis quibusdam gratiis clarus.

## XXVI. JULII.

**I.** EX Lusitania Ulyssipone literas dedit S. Xaverius ad S. P. Ignatum, quibus illum certiore reddit de eximio Regis, Episcoporum, & populi erga Societatem amore : & cum vide-rentur ibi excitandæ domus pro Convictu Studiosorum, imò & pro aggredandis in Societatem tam in Lusitania, quam in India ; humillimè petit, à S. Patre informari, & prolixè præscribi modum vivendi in illis : *Quandoquidem, inquit, clare perspicis exiguitatem nostri talenti.* Ex epist. Veterum lib. 5. ep. 3.

2. In Urbe anno 1604. habita ost Congregatio , & disputatio 32. coram Clemente VIII. propositum fuit: Cùm in via Molinæ liberum arbitrium , & gratia sint duæ causæ partiales , &c. quænam ex ipsis duabus causis in nostra justificatione præponderet ? Respondit P. Joannes Bapt. Bastida: Molinam

linam disertè , constantérque docere : non liberum arbitrium , sed gratiam . Divinam in negotio Justificationis es- se causam principalem : quod latè ex- posuit , & propugnavit. *Eleuther in hist. de Auxil. lib. 5. c. 41.*

3. S. Xaverius Potamiensis sanat in- fantem , tam gravi apostemate affli- ctum , ut quidquid sugeret lactis , per illud efflueret. Votô à Matre ad San- ctum conceptô sub noctem , sequenti die sanissimus apparuit parvulus , nè ve- stigiô apostematis relictô. *Ex l. mira- cul. Potamien. num. 43.*

4. Eodem die ibidem , anno 1652. Augustinus Velloni , civis Sorianensis , votum suum reddidit S. Apostolo , li- beratus ab illo quadrimestri acerrimo viscerum dolore , à Medicis incurabili. *Ibidem num. 221.*

*Eodem die obierunt.*

5. Calissii in Polonia , an. 1618. P. Mar- tinus Smigletius Polonus. Pii sermonis in familiari congressu miscendi , & elisū restituendi , egregius artifex fuit. Contra hæreticos quà calamo , quà lingua dispu- tati-

tatrice, potenter insurgebat, multásque collegit palmas, etiā cœlo teste. Cūm enim Vilnæ cum quodam Calvini asse:la publicè disceptâisset de fide, & sinè dubio victor abiisset ex arena : juvenis quidam ejusdem farinæ, aulicus regius impudenter sparsit in vulgus, ut solent hæretici : P. Martinum omnino succubuisse, nec dubitavit mendacium suum perjurio firmare, dirásque sibi imprecari , si falleret. Audivit DEUS vindex, subitaque anginâ fauces impostoris ità constrictinxit, ut ferè animam elideret. Adjutus tamen à circumstantibus, ut liberum à malo se vidit ; eandem repetiit cantilenam, sed infeliciore eventu. Iterum enim & arctius constrictis faucibus, & gutture, horribiliter strangulatus interiit.

6. Pragæ in Bohemia, annô 1646.  
 P. Gispar Tausch, Prutenus, vir ab omnibus habitus pro Sancto. Spiritum ejus produnt piissima opuscula edita, de Fontibus Salvatoris, de Matre dolorosa, & Christi Sapientia , seu profundissima Humilitate. Obedientiæ perfectionem testa-

testata est potio medica, quā æger hau-  
sit. Quamvis enim naturali horrore ita  
aversaretur medicinam omnem; ut,  
cum integris adhuc esset viribus, vide-  
rētque vasculum, quo alteri ægro propi-  
nandum erat catapotium, mox omnibus  
viribus, animoque fuerit destitutus: ni-  
hilominus ubi ipsimet infirmo oblatus  
fuit calix hujusmodi hauriendus: Obe-  
diendum est, inquietabat, hausitq; incun-  
ctanter, sed non impetu uno, verūm for-  
billando, ut repetitā victoriā se se per-  
vinceret. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

7. Monasterii in Westphalia, anno  
1632. victoriosa charitate inter funera  
peste afflitorum occubuit P. Theodo-  
rus Schnabelius, Germanus: quem eo-  
dem anno, aliis diebus comitati sunt alii  
quatuor in Germania.

## XXVII. JULII.

**I**Poficifcentem in Indiam S. Xa-  
verium anno 1541. 7. Aprilis Jo-  
annes Rex Lusitanus quadruplici instru-  
xit Diplomate Pontificis, quibus Nun-  
cius Apostolicus constituebatur, ut con-  
tra quosvis adversantes muniretur, con-  
cessa

cessa amplissima potestate ad conservandam in India, & propagandam fidem Christianam, & Religionem Catholicam. Omnia scripta, & subscipta erant annô præteritô diebus variis. Primum hoc die. *Bartolus in vita lib. 1. num. 13.*

2. Annô 1609. Paulus V. Pont. Max. decretum edidit de Beatificatione S. P. Ignatii cum facultate dicendi de eodem Missam, & Officium. *Nadaſi in Ind. Mem.*

*Eodem die obierunt.*

3. Cracoviæ in Polonia, annô 1597. P. Jacobus Wujecus, Polonus. Literis Latinis, Græcis, & Hebraicis egregiè excultus, datus est volente Stephano Rege, Sigismundo Batoreo Transylvaniæ Principi Instructor in literis, ac pietate. Deinde gubernationi Collegiorum, Domus Professæ Cracoviensis, & totius Provinciae admotus, & satis distractus: à munere tamen concionandi, & hæreticos insectandi, & dictis, & scriptis compluribus, nunquam cessavit. Biblia universa juxta vulgarem editionem, mandante Gregorio XIII. approbante Clemente VIII.

VIII. in Polonicum idioma transtulit; Vir eximiis animi dotibus, singulari doctrina, suavissima humanitate, ad animalium quæstum faciendum semper attentissimus. Dextera illius manus, quâ pro fide orthodoxa scribendo laboravit, aliquot à morte annis, consumpto reliquo corpore, inventa est incorrupta.

4. Ultrajecti in Belgio, anno 1612. P. Guilielmus Leonius, Belga. In Hollandica Missione annos 22. pari labore, periculô, & fructu laboravit, etiam turbatissimis temporibus feliciter piscari solitus. Orationis studio potissimum laboribus suis conciliabat efficaciam, & proventum, visus aliquando cœlesti luce circumfusus; quâ illustratus etiâ intima cordium subinde cognovit, & aperuit.

5. Romæ, anno 1637. P. Joannes Gerardi, Anglus è prima nobilitate, alias Thomsonus dictus. Exercitus 18. annorum fructuosissimis laboribus, inter continua capitis discrimina, carceribus ærumnosissimis maceratus, equuleo aliquoties immaniter tortus, non solum tormentis non cessit; sed spontaneas in carcere-

carceribus, & inter tormenta adjiciebat mortificationes, jejunia, cilicia, & quotidianas flagellationes. Usus tandem opportunitate, in libertatem se asseruit: verum ut pateret, non mortis metu, sed labores protrahendi studio, è carcere ipsum evasisse: Lendinum post paucos dies rediit, repetitque labores suos, donec acerrima in caput ejus facta inquisitione, & poenis rebellium propositis iis, qui eum hospitio receperissent, post quæsita aliquamdiu in sylvis latibula, coactus est cedere in Belgium; inde Romam, denique in cœlum translatus.

### XXVIII. JULII.

**I.** Pius IV. anno 1564. in frequenti Cardinalium Conventu retulit de Seminario Romano, si videretur, Societatis gubernationi tradendo: cumque omnes, nemine dissentiente, annuisserint; Societati commissum est. Sed inde nova, nec lenis orta est tempestas ab æmulis scripti, & sparsi libelli famosi in Societatem: ut vel munere commisso privaretur, vel saltèm eo indigna videretur. Res èo evasit, ut Pontifex

cri-

criminationes adversariorum committeret Congregationi Cardinalium examinandas. Instituta cognitio , nec auditio , nec monito , nec scito Præposito Generali Lainio , vel altero quopiam è Societate. Nihilominus DEO pro servis suis stante, non solum absolute est Societas, sed eximiis encomiis ornata à Judicibus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 8.*  
*à n. 20.*

2. Annô 1568. Abulæ in Hispania, S. Theresia Epistolam dedit ad Christophorum Rodriquez de Moya , cui pientem Virginibusiscalceatis claustrum erigere, in quo degerent filiæ ipsius, dummodo possent esse sub directione Societatis. Scribit ergo ei S. Mater: Homines Societatis JESU sunt mei Patres, quibus post DEUM debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus tuis afficiar ex eo , quòd intelligam eas cum Patribus istis agere solitas: nec enim quævis, licet spirituales sint , illicò conveniunt nostro Instituto , nisi quibus illi à confessionibus sunt , quales sunt propemodum **omnes**

omnes Monasteriorum nostrorum Alumnæ. Evidem gratias ago DEO, quod eorum, qui me genuere, Patrum Spiritus mea in cœnabia ab eisdem sit transfusus. Itaque Reverendissimus Generalis noster, nuper hac transiens, ita præcepit : ut Patres Societatis Exhortationes haberent ad nostras, &c.  
*Gomez in Elog. part. 1. & Lancic. Tomo 2.*  
*Opusc. 17. c. 3.*

3. Annô 1636. A. R. P. N. Mutius Vitellescus scriptō testatus est : se ab isomet S. Philippo Nerio non semel audiisse : quod ipse ante fundatam Congregationem Oratorii, petierit à S. Ignatio admitti ad Societatem, sed hunc certas ob causas recusasse. *Lancic. Opusc. tit. num. 197.*

*Eodem die obierunt.*

4. Tornaci in Belgio, annô 1556. P. Quintinus Charlartus, Belga, etiam ante initam Societatem Sanctimoniae opinione celebris. Canonicus cum esset Tornacensis, domum non semel rediit sine calceis, subinde sine pallio, vel tunica, quibus pauperes egentes texerat. No-

cte

ctu domos pauperum verecundorum, exemplô S. Nicolai visebat, & liberali manu juvabat. Tam præclara initia maximis incrementis in Societate promovit; ut mereretur à S. P. Ignatio Romano Collegio præficiRector. Denique heroicæ charitati in obsequio pestifero rum cum duobus Sociis immortuus cùm esset, supra ipsius, & Sociorum tumulum cœlestes splendores videre cives.

5. Villagartiae in Hispania, anno 1580, P. Franciscus Cordubensis, filius Ducis Cardonæ. Celsitudinem generis profunditate humilitatis, & abnegationis sui longè superavit, editis admirandis contemptūs sui exemplis. Si à quopiam minoris se fieri adverteret; cum illo agebat frequentius, & libenter. In tertio Probationis anno, cùm è pago porcellos Villagartiam ageret, ac eorum unum fessum videret, sublatum in humeros domum portavit, ubi haram illis exstruxit, aluitque magnâ diligentia.

6. Salmanticæ in Hisp. Joannes Or tunius, Scholasticus, Hispanus. De hoc ajebat ejus in tyrocinio Magister, Balthasar

far Alvarez : nunquam se in Anachoretarum veterū vitis grandiora iis legisse, quæ in Joanne isto vidisset. Inter obedientiæ cæcæ exempla, & illa edidit : quod Iesus expectare, sub dio persistenter cœlo asperrimo, & nive cadente, persisturus tota nocte, nisi repertus tandem & avocatus fuisset. Iesus certæ hortuli parti tres situlas aquæ quotidie aspergere ; id præstigit constanter etiâ iis diebus, quibus copiosus imber cadebat.

## XXIX. JULII.

**L**egatus Sebastiani Regis Lusitanicæ ad Imperatorem Sinarum , tres è Societate secum dicens , pro aperiendo aditu Evangelio in illud imperium , anno 1563. Amacaum feliciter appulit : quæ peninsula Provinciæ adjacet . Cantonensi , & nunc insigne emporium est Lusitanorum. Ubi Gubernatori Cantonensi intimavit Legatus Lusitanus , petere se accessum ad regiam nomine Regis sui , & munera deferre Imperatori : suspecta res visa est Sinenibus, Missus ergo Amacaum Mandarinus ,

rinus, qui omnia exploraret, ac referret, cùm inter alia vidisset, quàm frequentes in æde sacra cultui Divino adessent Lusitani, & quàm Patrum observantes, dixisse fertur: Fieri non posse, ut gens, quæ tantam DEI venerationem haberet, veritatem, & æquitatem non coleret. Nihil eo anno per Legationem istam promotum, Sines suspiciosissimis omnia suspecta habentibus. *Sacch. p. 2. hist. Soc. lib. 7. n. 128.*

2. In Gallia annô 1589. Collegio Burdigalensi exilium indicitur, nomine Regis, quod Patres non Regis partes, sed Fœderatorum Principum, quæ pars Catholica dicebatur, sequi videbantur. Responsum est: Ex urbe egressuros se obedienter, eò lætos, quod noxæ nullius comperti essent, non enim sibi noxæ esse posse, quod parti Catholicæ adhærerent cum nulla Regis injuria. Inter multas complorantium civium lacrymas excefferunt, solis, qui non deerant, tripudiantibus hæreticis. Sixtus V. Pontifex emigrationem laudavit, quod Patres majorem

rem Religionis, quam bonorum temporalium rationem habuerint; DEUS cum tentatione proventum dedit: si quidem & Burdigalæ honorificentius postea restituti sunt Socii, & in Civitatibus aliis duabus, Ausci, & Petrocorii, quæ exules receperant, erecta sunt Collegia. *Sacch. hist. Soc. p. 5. l. 9. n. 139. &c.*

3. Romæ anno 1644. obiit Urbanus VIII. Pont. Max. erga Societatem per quam benevolus. Inter cetera animi propensi monumenta dedit illud (cùm huc sub nomine Maphæi Barberini), Legatum Pontificium ageret ad regem Galliæ Henricum IV. quod cum vidisset adhuc stantem ante Palatium Senatorium infamem columnam indecuss Societatis ab hereticis, & de fide suspectis Senatoribus erectam, tam fortiter, constantérque causam Societatis egerit, ut Rex eam everti, ac dirui curaverit. *Imago 1. Sec. Soc. l. 5. c. 9.*

*Eodem die obierunt.*

4. Toleti in Hispania, anno 1586.  
P. Jo-

P. Joannes Manuel, Hispanus, insignis in pauperes, & infirmos charitatis. Cùm domui Toletanæ præcesset, atque tres solum panes domi haberet, jussit unum ex illis pauperi petenti dari; sed paulò post, antequam ad triclinium irent domestici, adfuit adolescens ignotus cū pluribus panibus, quos offerebat, nec prodere voluit, unde, vel à quo veniret. Valetudinarios, & infirmos petebat ad se mitti P. Joannes, asserens: per hoc opus charitatis, & orationes eorum, benedictionem cœlestem descensuram in domum totam. Mortui gloria dicitur cuidam divinitus manifestata.

5. Limæ in America Peruana, añô 1611. P. Balthasar Pinna, Hispanus, innocentia vitæ, & prædicandi dono eximus. Vox ejus vox erat virtutis, non solum ex ore sonantis, sed maximè in moribus relucentis. Unde passim alter Bernardinus: Vincentius Ferrerius, imò Paulus dicebatur. Nec homines tantum habebat sui observantes, verum, & aviculas, quæ subinde ad ipsum advolabant, & sui securæ humeris, aut manuī  
*Pars III.* F in-

insidebant. Fructus, quem in animabus faciebat, permovit quendam, ut pro P. Balthasare, desperanter ægro, caput suum devoveret DEO. Auditus est: convaluit Pater; morbus ad illum transiit.

6. Barroducti, anno 1632. P. Claudius Viola, Gallus. Certa Parisiensis Episcopatus spe posthabita, elegit abje-  
ctus esse in domo DEI. In se ipsum propè crudelis fuit. Abdens se in cubiculum, sumebat arundinem in manum, capiti impositâ coronâ spineâ: tum se chordis, mox virgis, deinde aculeis ferreis tam dirè cædebat, ut parietes sanguine largè aspergerentur; scilicet ad refundendum quodammodo Salvatori sanguinem pro se effusum. In arcano enim libello suo sæpe notaverat hæc tria: *JESUS, MARIA, sanguis.* Peste infectis cùm serviret, ejectum à quodam ægro per vomitum viaticum sacrum intrepidus hausit.

### XXX. JULII.

**R**Omæ S. Pater noster, advertens imminere tabernaculi sui resolu-

lutionem, P. Polancum misit ad Summum Pontificem Paulum IV. ut sibi, & cuidam Sociorum, ( Olavius is erat) propediem migraturis, benedictionem, & indulgentiam impetraret. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 16. n. 95.*

2. Calari in Sardinia pridie festi S. Ignatii infans haec tenus nondum locutus, disertis verbis pronunciavit: *Craftina die S. Ignatii solemnia celebrantur.* Nadas in Indice Memoriali, ex Escobar, & Engelgrave Panthei parte 2.

3. Manresæ, anno 1627. Imago Crucifixi lapidea, quæ antè propè viam ducentem Barcinonem steterat, nescio, quo casu dejecta, à Thoma Fadreo Canonico in suas ædes deportata, & privatim culta est. Postea altiore instigatu impulsus idem Canonicus, majoris venerationis causâ eam effigiem transfulit in specum Manresanam, in qua S. Ignatius initio conversionis suæ ad vitam perfectiorem per annum commoratus est, & librum Exercitorum spiritu alium scripsit. Ad lævam altaris collocavit imaginem Canonicus, addens fore,

ut summis honoribus coleretur à tota vicinia: quod facile pro vaticinio acceptum est, ob notam hominis pietatem singularem. Añō igitur prædictō: dum sacri cantus pridie S. Ignatii in Sacello resonant, & stipant proximum altare, quotquot specum ingredi poterant: ecce tibi primū ex plaga lateris Crucifixi, deinde ex manibus, capitifq; punctuationibus tam recens sanguis promanat, ut vivi hominis videretur. Nihil omissum diligentia ad deprehendendam ostenti novi causam; sed nihil deprehendi potuit præter miraculum divinum: de quo juridica testimonia deposuere sedecim testes, ex quibus Canonicī duo, Doctores medici tres, Jurisperitus unus; & rubent hodiéque vestigia sanguinis, maximè à latere ad pedes deflui. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 1.*

¶. 22.

4. Romæ hic dies anno 1599. felix auspiciū dedit liberaliori, magis publico cultui S. Patriarchæ Ignatii. Cardinalis enim Bellarminus, ut in Sociis ardentes erga Patrem accenderet

ret affectus, ultro ad ipsos Exhortationem habere constituit; de qua cùm inaudiisset Card. Cæsar Baronius, interesse & ipse voluit. Ostendit luculentiter Bellarminus, Ignatio nihil deesse, quò minus in Álbum Sanctorum referatur. Finita Exhortatione ad Præpositum Generalem Claudium, & Patres præsentes conversus Card. Baronius, amanter carpsit eorum nimis meticulo-sam, & parcā erga Sanctum Patrem pietatem, quòd sepulchro nec anathemata quædam, nec Effigiem ipsius appendissent. Afferri ergo voluit Iconem, eámque sinè mora consensis scalis pari-eti sepulchrali affixit, unāque hinc inde anathemata, quæ piorum devotio-antē obtulerat. Sic aucta populi pietate, & Sancto cœlitus respondente piorum votis gratiarum cœlestium largitione, processum postea est ad promovendam ejus Beatificationem. *Idem ibidem l. 4.*

*n. 39.*

*Eodem die obierunt.*

5. Leodii, annô 1656. P. Petrus

Halioix, Belga, vir antiquæ simplicitatis, sed erudit ingenii. Tam rigidus in se ipsum, ut freno opus haberet. Humi ferè tantum somnum capiebat brevissimum. Dictabat enim: Vigilare esse quandam in carne cœlestium spirituum, imò ipsius DEI imitationem. Studia nunquam inchoabat, nisi pronunciatō hymnō: *Veni Creator Spiritus*; suadebatque id aliis, asseverans: Studia bonum exitum non fortiri, nisi à DEO inchoentur, & ad illum referantur.

6. Romæ anno 1541. Marcus Laynez, Coadjutor, Hispanus. Patris Jacobi Laynez frater germanus. Audi erat is, Jacobum novum quendam Clericorum Ordinem inivisse: unde animi anxius, nè quam in hæresim se implicaret Jacobus, per tres ipsos annos Symbolum Apostolorum pro illo in sacro quotidie recitabat. Romæ Societatem ingressus, egregium agebat Religiosum. Vitâ functus, statim à funere P. Laynio comparuit, jussitque parentes de

de sua salute securos esse; secum enim  
præclarè agi.

## XXXI. JULII.

I. **A** Ter omnino, & nefastus dicendus nobis esset hic dies, qui universæ Societati acerbissimo funere, magnum, optimūmque sustulit Parentem, anno 1556. sed quia eum intulit cœlo, æternâ coronandum gloriâ, & honore, atque nobis luculentius inde prospecturum; fastus jam, & festus dici, & esse meretur. Obiit Pater sanctissimus pretiosa morte justorum, Spiritum suum, & cœlo transmittens ad gloriam, & in Constitutionibus suis, præstantissimisque virtutum exemplis relinquens filiis ad imitationem. Quanto nobis solatio pariter ac honori sit, hunc habere Patrem, disertè indicavit S. Philippus Nerius, quando visis in templo Congregationis suæ duobus è nostris, rogavit, an essent de Societate annuentibus illis, dixit, *Etsi filii Magni Patris!* Illud igitur nobis incumbit: ut non degeneremus à præcelsis ejus

cogitationibus , & gestis. *Bartol. in vita S. Ignat.*

2. Eodem die anno 1568. à S. Francisco Borgia, Præposito Generali translatum est sacrum Corpus S. Patris in aliam veteris templi partem: quod construendi novi templi Domus Professæ fundamenta inciderent in Sacellum, ubi tumulatum fuit. Aderat Romæ P. Julius Mancinellus, magnus, & miraculosis gratiis honoratus DEI servus, qui omnino inscius Translationis, priusquam ea fieret, sub noctem audire cœpit cœlestem musicam mira vocum, & symphoniarum suavitate DEUM laudantium; tenuitque totam noctem hic cantus, & partem diei sequentis, donec Translatio peracta esset. *Bartol. in vita S. Ignat. lib. 4. n. 39.*

3. Neapoli pro festivitate S. Ignatii solemnius celebranda, cuiusdam ignes artificiosos præparantis, cum brachium corripuisse, fortuitò incensus pulvis pyrius, ac fœdè ambusssisset: mox S. Ignatii beneficium sanitati redditum est. *Lancicius tom. 2. pag. 613.*

4. Die

4. Die ejusdem festivitatis cùm in Urbe Domùs Professæ templum, & sepulchrum S. Patris devotè visitâisset Angelicus juvenis Joannes Berchmans, in reditu rogatus à Socio: quam præcipuè gratiam flagitâisset à S. Patre? Oravi, inquit, in Societate mori nullâ unquam regulâ violatâ. *Ceparius in vita p. 70.*

5. Annô 1548. adhuc superstite S. Patre, postulante S. Francisco Borghia tunc adhuc Gandiæ Duce, approbatus rite est à Paulo III. Pont. Max. Libellus Exercitiorum spiritualium à præfato S. Patre conscriptus. *Orland. hist. Soc. part. 1. lib. 8. n. 1.*

*Eodem die obierunt.*

6. Romæ Natalis S. IGNATII Confessoris, Fundatoris Societatis JESU, sanctitate, & miraculis clari, & Catholicæ Religionis ubique dilatandæ ( prout habet Martyrologium Romanum ) studiosissimi. Fundavit Societatem pari labore, & gloriâ, allaborante dígito DEI. Unum hoc opus elogiorum om-

nium Ignatii grande compendium est. Miraculorum ejus innumerabilium, præsertim in juvandis parturientibus, maximum est Ipse, se ipso quotidie melior: quod rarissimum etiam in Principibus Sanctorum. Studium dilatandæ Religionis prædicant Asia, magna sui parte sub jugum Christi missa, Africa domita, America exculta, Europa sanctior, & doctior. Vitam laboriosissimam pro majore, & majore DEI gloria, gloriösè consummavit in dormo Professa Romana, Feria 6. anno 1556.


7. Romæ anno 1664. P. Gofwinus Nickel, Decimus Præpositus Generalis. Post complura Collegia, & inferioris Rheni Provinciam bis felicissimè gubernatam, datus Germaniæ Assistens, adeò virtutem suam, prudentiam, agendi dexteritatem probavit Præposito Generali Francisco Picolomineo, ut in constituendo Vicarium Generalem, sic de ipso scripserit: *Societatem ei commendo, quem Vicarium nomino, & judico juratus aptissimum.* Summam Societatis Præfecturam ita egit, ut meritò scripserit de

de ipso Eminentissimus dignitate, & doctrina Cardinalis Sfortia Pallavicinus: Eum preclarissimum de se judicium à Societate universa, ab externis Magnatibus, & à Magnatum Maximo reportasse. Rexit enim subditis charus, imperantibus probatus, successibus felix. Novennali regimine totius Societatis lassus, & ætate, morbisque ingraescentibus, cùm se imparem tot laboribus videret, à convocata Congregatione Generali petiit sibi dari Vicarium. Quo obtento, scilicet P. Joanne Paulo Oliva, triennio supervixit, sanctamque vitam sanctè conclusit.

8. Nangasachi in Japonia, anno 1633. Nicolaus Keyan Jucunanga, Japon Scholasticus. Triennio literis Latinis imbutus, egregia virtute, & gloria morte illas ornavit. Primus, odio fidei, celebre illud Japonicum tormentum expertus est in scrobem à pedibus suspensus, capite deorsum vergente. Sed non defuit illi solatium, & auxilium, DEIpara Virgine, cuius cultui addictissimus erat, identidem ipsum

ipsum invisente, à suspendiario illo supplicio deponente ad quiescendum aliquantis per, imò & potu frigidæ indulgenter recreante; donec quarta suspendi die invictum Spiritum traderet DEO.

9. Castilione in Italia anno 1630.  
 P. Petrus Justinellus, Italus. Precibus sterilis matris impetratus, DEO que à teneris oblatus, ad omnem pietatem etiam primordia vitæ composuit. Adolescentulus adhuc Sodalitatem quandam aliorum adolescentium conflavit, illique certas leges præscripsit. Igniculi isti pietatis in flamnam ingentem eruperunt in Societate, quæ Virum Apostolicum denique ad obsequia peste infectorum abripuit, & mortali vitæ eripuit.



## I. AUGUSTI.

I. **S**Acrum S. Patris corpus, cùm pietati populi tantisper expositum esset,

esset, sub noctem tumulatur. Antequam sepulchro inferretur, puella strumis fœdè deformata, post inanem medicorum operam, attactu panniculi, quo usus erat Sanctus, in oculis multorum plenè sanata est. *Bartolus in vita lib. 4. n. 38.*

2. Idem Sanctus anno 1526. hoc die Complutum venit, studiis literarum operam daturus: sed cum tunc temporis feriæ scholarum essent, partim excolendæ virtuti propriæ, partim proximorum saluti curandæ se dedit, imo & temporali pauperum inopiae juvandæ per stipem corrogatam; quamvis ipse non minus egeret. Degebat in hospitio pauperum; ubi cubiculum hospiti assignatum est, in quo nemo aliis subsistere poterat, ob spectrorum infestationem. Hæc cum prima nocte in dormientem fecissent impetum, Ignatius è strato se proripuit, atque in genua abjectus, sic infestam Orci turbam affatus est: Si vobis potestatis aliquid in me datum est, præsto sum, agite, quantum DEUS vobis vult licere.

Sin

Sin autem vobis nulla data nocendi facultas, quod tanta vestrum turba? quod tanti strepitus, & terriculamenta? Dixit, & spectra in fugam acta, liberum ab eo tempore cubiculum reliquerunt.  
*Bartolus in vita lib. i. n. 32.*

3. Romæ Ludovicus Cardinalis. Ludovisius anno 1626. primum jecit lapidem Templi amplissimi, pro Collegio Romanano excitandi in honorem, & titulum S. Ignatii. *Nadas in Indice Memoriali.*

4. S. Franciscus Borgia primam DEO hostiam litaturus anno 1551. ut etiam hac occasione suam erga S. Ignatium testaretur observantiam, ad paternam ejus domum se contulit Lojolam; & in privato sacrario, quod ejus loci Domini ad id ornârunt, hoc die primum obtulit sacrificium, sine cantu musico, & alia solemnitate. Alterum vero solemni ritu absolvit Vergaræ, loco ferè 6. passuum millibus distante ab Lojolæa domo, coram frequen- tissima multitudine in campo aperto, quod concurrentem turbam templum, licet

licet amplissimum, non caperet. Post sacrificium novus mysta concionem dixit, magno animorum motu, & fusis lacrymis exceptam, quod non ore tantum, sed toto se concionaretur, *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 11. n. 51. Sc.*

5. Goæ in India, anno 1560. fabri murarii 150. circa novum templum laborantes, operâ Patris Diaz, qui fabricæ præerat, baptizati sunt; ex pagis autem duobus à P. Josepho Riberio septuaginta è primoribus virides manu ramos, ferta autem in vertice gestantes, inter festum tympanorum, fistularumque pro more, sonum deducti sunt ad Proregem, aptandi sacro Fonti. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 4. num. 254.*

*Eodem die obierunt.*

6. Romæ, anno 1546. P. Petrus Faber, Allobrox, Primus S. Ignatii Socius, & Filius in Christo genitus, Missionibus, & Apostolicis laboribus per Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, Germaniam clarissimus. Dum de vita sta-

tu

tu deliberaret, Exercitiis S. Patris intentus, plures horas sub dio duxit in alta nive, perstititque totos 6. dies in perpetua inedia, absque cibo, & potu, donec id vetuit Ignatius. Qua tam heroica sui victoria sensit sibi divinitus abstersam omnem gulæ appetitionem, & scrupulos, quibus appetebatur. Plurimis, & difficillimis exantlatis itineribus fidei, & animarum causâ, accitus Romam à S. Ignatio, in ipso æstatis æstu, qui viatoribus Urbem ingrediens fatalis esse solet, obedienter venit, & contracto morbo paulò post obiit. Post mortem personæ famâ sanctitatis conspicuæ in multa gloria apparuit, asserens se obedientiæ studiô mortem appetuisse; multaque jucundè narravit de gaudio, quo propter id genus mortis frueretur in cœlo.

7. Ibidem anno 1580. P. Everardus Mercurianus, Belga, Præpositus Generalis Quartus. Mentem S. Ignatii quoad institutum Societatis, tam scitè percallebat, ut Ignatius in ipso redivivus videretur. Gubernavit Soci-

eta-

etatem sapientissimè annis septem; vallebatque plurimùm maturitate dicendi, scribendi, atque idoneos Superiores, & Concionatores formandi. A germano suo rogatus, ut suorum tenuitatem sublevaret, respondit: sibi non plus facultatum esse, quam cuivis minimo Coadjutori.

8. Mussiponti, anno 1633. P. Johannes Collignon, Gallus, humilitatis, & charitatis studio insignis. Impensè studebat latere; ideoque nunquam se supra Grammaticæ institutionem erigi passus est, licet majora posset. Rarò charitatis exemplō, undecies servivit peste laborantibus, & in extremo morbo querebatur, quod domi in lectulo ignavus, non inter pestiferorum turbam, moreretur.

9. Londini in Anglia, anno 1679. odiō fidei suspensus, & laniatus est P. Philippus Evan. *Hazart. in Append. 2. bīst. Eccles. Engl.*

10. Vilnæ in Litvania, anno 1689. Ven. P. Thomas de Rupniew Ujeysky, Polonus, ex Episcopo Chyowiensi, &

Czer-

Czernihoviensi, Societatis JESU Religiosus: delectus à Divina Providentia, ut novam in vario statu sancte vivendi ideam exhiberet orbi, exprimeretque in se uno dotes omnes, sive in Aulico Christiano, sive Senatore Regni, sive in Pontificum, Regumque ministro, sive in Prælato Ecclesiastico, & consummato Religioso desideratas. Dono pacificationis discordantium eximus, Sancti Episcopi titulum, & populi, & Principium communi Suffragio obtinuerat: verum ipse de se non aliter, quam de homuncione nihili sentiebat semper, ac loquebatur. Societatem igitur sancto, & indefesso ambitu appetiit: ut in ea tandem disceret DEO servire. At consummatam Viri virtutem, vix anno tyrocinii elapsò, solemnni Votorum quatuor Professione honoravit Joannes Paulus Oliva, & paulò post munere Præpositi Domus Professæ Vilnensis P. Carolus de Noyelle, Præpositi Generales. Plura, & eximia dat vita ejusdem à P. Joanne Brictio conscripta.

## II. AUGUSTI.

I. **A**NNO 1589. P. Robertus Personius magnum illud in tempore turbidissimo Ecclesiæ Anglicanæ columen, Vallisoletum in Hispania venit, ad condendum ibi pro Anglicana Catholica juventute Seminarium. Quæ enim in Galliis extabant Remense, & Augense, nec capiebant multos, nec sufficiebant bello tempore alendis. - Solicitandam igitur Catholici Regis, Philippi pietatem, ac liberalitatem putavit Personius: & res cessit è voto. Nam primo statim cum Rege congressu, Seminariis illis Gallicanis opportuna exoravit subsidia: deinde cùm demonstrasset, quām opportuna esset exuli Anglicanæ juventuti Hispania, propter sinceritatem fidei, & florentia literarum studia, confessim Rex, ut Vallisoleti erigeretur tale Seminarium, annuit, atque in id Hospitalē domum S. Cosmæ contulit. Sed Sodalitate ejus domūs difficultatem faciente, animum adjecit Personius ad commodiorem domum aliam conducendam, quæ esset Collegio vicinior. Ne-

got:

gotium quoque habuit cum Inquisitore metuente, nè per eam occasionem hæretici irreperent in Hispaniam sub pallio Catholico. Valuit tamen Personii industria ad omnia dissipanda impedimenta, ita : ut eodem anno propè viginti juvenes Angli collecti sint in domum conductam ; sequenti verò ad quadraginta numerus ascenderit, Rege, Proceribus, & civibus tam largis in piam illam causam : ut denis aureorum millibus comparari potuerit domus, ac insuper certum ventigal annum in sustentationem Alumnorum constituti. Administratio, & regimen Seminarii Societati commissum.  
*Sacchin. hist. Soc. lib. 9. n. 192. &c.*

*Eodem die obierunt.*

2. Ikizuki in Japonia , anno 1590. P. Franciscus Carrion , Hispanus , strenuissimus in vinea Japonica Operarius. Expectata in Regno Bungensi mortem pro fide, reperit tandem Firandi : ubi post egregias de impietate reportatas victorias , permultis Christo aggregatis, infidelium odia incurrit ; & veneno ab aliis

aliis propinato per triduum cruciatus, gloria morte extinctus est.

3. Tornaci in Belgio, anno 1644. P. Franciscus de la Croix, Belga. DEI-paræ V. addictissimus, de illa, & sentiebat magnificentissimè, & scribebat suavissimè; ut testatur Hortulus ejus Marianus ferè omnium linguarum typis editus. Provinciæ Præpositus ipsam ad illius pedes depositus, ut tanquam suam regeret, ac protegeret. Noctu à primo somno exercefactus, surgebat, ac cœli Reginam carmine S. Casimiri salutabat. A Mutio Vitellesco Præposito Generali, Angeli cognomentum tulit ob morum compositionem, & reluentem in illis Angelicam quandam innocentiam.

4. Halæ in Germania, P. Ernestus Mairhofer, Germanus, Sacerdotum omnium in Societate universa, quæ rescire licuit, antiquissimus. Vixit seculum integrum absque biennio; in Societate annos 81. à suscepto Sacerdotio annos 68. Et tamen ætatis privilegiō non ad laxandam, sed arctandam disciplinam  
ute-

utebatur; in Quadragesima nihil de rigore jejunii remittens, quot hebdomadis autem feriâ 4tâ, & Sabbatô jejunio consecratis.

### III. AUCUSTI.

I. **S**anctus Franciscus anno 1544. Manapere in India Epistolam dedit ad P. Franciscum Maniliam, in ora Piscaaria laborantem: in qua omnem paternam exprimit solicitudinem in tuendis Christianis illis ab incursione Badagaru, feræ gentis, & latrociniis assuetæ. Monet ergo; ut, quoniam rumor spargitur de illorum excursione, mature conquirantur omnis generis navigia, in quæ tempestivè se recipiant Christiani, conquiratur à Præfecto Lusitano majus, munitumq; navigium, quod minora tueatur, ponantur idoneis locis speculatores non pauci, qui in horas, etiam de nocte nuntient, quid agatur. Addit deinde; sed cum hæc instantissimè commendaverit, parùm ipsis fidas, censeo. Novi ego socordiam, & tenacitatem ingavissimam istorum, quos duorum fanorum sumptum (genus est monetæ exiguæ

guæ ) in tam necessarios vigiles facere  
pigeat. Tu ipse per te, ac tibi fidos vi-  
gila, & cura, jam nunc deductis in ma-  
re cymbis, mulieres, & parvulos impo-  
ni. Utēris etiam occasione tristis tem-  
poris ; ut ad DEUM recurrent. Magi-  
ster orandi optimus, metus est. Antoni-  
um Fernandem (Præfectum Lusitanum)  
meo nomine adi, & adjura, per quam  
mecum colit amicitiam, ut quantū meā  
causā vult, totum conferat in salutem  
istius miseræ plebis. Iterū, & super om-  
nia inculco ; effice, ut per noctes stent  
quidā in speculis, multisq; passim locis  
per totā oram. Suā vos Deus, qui unā  
certe est, custodiā defendat. Vale. *E-  
pist. Novarum lib. 2. epist. 12.*

*Eodem die obierunt.*

2. Granatæ in Hispania, añô 1600.  
P. Petrus de Molina, Hispanus. In Mis-  
sione maritima, itèm in Africa miro zeli  
religiosi ardore versatus, non paucos ad  
Christi fidem adduxit Mauros, Judæos,  
& alios. Granatam redux, ad Xenodo-  
chium illico evolavit, ubi sauciis, & gra-  
vilue laborantibus, indefesè servientē,

mors

mors glorioſa oppreſſit. Secuti eum ſunt ſimili munere, & exitu P. Marcus Antonius, & P. Francifcus de Cuellar. Omnes hi tres poſt mortem viſi ſunt in splendoribus Sanctorum.

3. Eboraci in Anglia, anno 1641. P. Brianthus Cansfeldus, Anglus. Poſt multos, gravēſque pro re Catholica ex antlatos labores, inter ſacrificandum de prehensus, & ad judicem in ſacrificiali veste raptus, opprobriis ſatiatus, conje catus eſt in carcerē, ibiq; pefſimis modis habitus eſt. Dimiſſus quidē poſtea eſt, ſed valetudine ærumnis carceris itā attrita, ut uno ferè poſt mense diem poſtreum obierit.

4. Lovanii in Belgio, anno 1621. Martinus Becchaert, Scholaſticus Belga. Silentii per omne tempus adeò obſer vans, ut nullo verbo illud violâſſe fit au ditus. De ſe nunquam bene, de aliis nunquam malè locutus. Prima ſurgen tis, & ultima vigilantis occupatio erat, à DEI para Virgine, quam tenerimè ama bat, colebatque, petere benedictionem, tanquam à Matre. Ternas, & ſubinde

qan-

quaternas horas in diem ducebat orando, amabili compositione piæ modestiæ. Festo quovis die tribus sacrificiis intererat, & à sacra Synaxi percepta, tres horæ quadrantes in reddendis gratiis ponebat. Ajebat quinque se à DEO postulare. 1. Ut moreretur, antequam periculosis cum proximo congressibus involveretur. 2. Ut in Societate JESU. 3. Ut sibi bene compos. 4. Ut manè ante sacrificia inchoata. 5. Infra octavam S. P. Ignatii. Omnia obtinuit.

#### IV. AUGUSTI.

1. **C**elebris est hic dies festo S. Dominici, celeberrimi Ordinis Patriarchæ, ac Fundatoris. Quanta inter eum, & S. Patriarcham nostrum Ignatium intercedat necessitudo, aperuit DEUS Marinæ de Escobar, divinis visionibus illustri; quando ei ostendit Sanctos Dominicum, & Ignatium, in gloria cælesti, aureâ catenâ utrumque circumdante, colligatos. *Ludov. de Ponte in vita Marina lib. 2. cap. 21.*

2. In Africa, anno 1578. ingenti clade in prælio cum Mauris, occubuit

*Pars III.*

**G**

**Se-**

Sebastianus , Rex Lusitaniæ , juvenis annorum 24. indole plane Regia , breve gentis suæ solatium , æternus dolor , etiam Societati nostræ , quam & æstimabat plurimùm , & amabat tenerimè ; utpote à teneris ab ipsa educatus , & instructus literis atque virtutibus . •  
 Christiano Rege dignis . Fundavit illi in Insulis Collegia duo , in Brasilia tria , in India quatuor ; Lusitana' , quibus non satis provisum fuit , auctis redditibus firmavit . Dicere solebat : hoc genus hominum planè sui stomachi esse ; qui illi detrahebant , impudentiæ mancipia appellabat . *Gomez in elog. Soc.*

3. Annô 1668. solidum , ac illustre testimonium dedit hoc die R. P. Dominicus Sarpetri , seu à S. Petro , Ordin. Prædic. de & pro praxi Missionario- rum nostrorum Sinensium , circa Confucium , & Parentes defunctos : quod scilicet Patres Societatis rectè permit- tant Sinis Christianis quosdam anti- quissimos ritus , quibus Sinæ Principem Philosophum suum , & Progenitores . suos defunctos venerantur . Deinde con-

contra eos , qui in Europa malignè sparserunt , quòd Missionarii nostri Sinenses non prædicent Christum Crucifixum , addit : Fidem facio , quòd Patres Societatis JESU in hoc Regno Sinarum , Christum Crucifixum non solùm verbo , sed etiam multorum librorum voluminibus ethnicis annunciant , & de sacræ Passionis mysteriis suos Neophytes diligenter instruunt , & in aliquibus Residentiis sint ejusdem sacræ Passionis Confraternitates erectæ , &c. &c. Utrumque punctum firmat additō juramento . *Ex Apologia edita Lovanii 1700. pro Decreto Alexandri VII. Pontificis.*

*Eodem die obierunt.*

4. In Africa , annō 1578. P. Gaspar Mauritius Serpe , Lusitanus. In Africam secutus Sebastianum Regem Missionarius Castrensis , prædixit eam sibi fore fatalem. Profligato exercitu Lusitano , capti Missionarii alii , sed servi , & ære postea redempti. Gaspari parcere noluit Maurus , quòd eum saucio militi aures dantem deprehendisset.

Unde eum canem Nazaræum appellans,  
quid isthic impietatis ageret, interrogavit: & simul ipsi acinace caput bifariam fudit.

5. Pernambuci in Brasilia, anno 1633.  
simili ex causa, simili exitu vitam clausit  
P. Antonius Bellavia, Italus. In prælio  
Lusitanorum contra Batavos hæreticos,  
licet glande saucius, operam confitenti  
saucio militi dabat. In hoc opere de-  
prehensus à milite hæretico, aliquot in  
capite, ac gutture acceptis vulneribus  
occubuit. Fuit vir tanta modestiæ sua-  
vitate amabilis: ut ea, quæ in illius men-  
te, atque carne inerat integerrima Vir-  
ginitas, è vultu promicaret. Cùm par-  
vulus terram pede crebrius pulsaret, ro-  
gatus à Patre, cur id faceret, respondit:  
se ad alterum illum mundum, qui in-  
fra nos esset, iturum. E scholis cùm  
rediret, fœminæ aliæ alias invitabant,  
dicentes: Eamus, videamus parvulum  
Angelum, filium Bellaviæ. In Brasilia  
multam messem Ecclesiæ horreis intu-  
lit, visus subinde inter sacrificandum à  
terra sublimis.

6. Com-

6. Compluti in Hispania, anno 1565.  
 Petrus Gomez, Hispanus, Coadjutor.  
 Tanta accuratione, & diligentia, sine  
 spiritu tamen detimento, rem econo-  
 micam procurabat in prædiis, ut redu-  
 ci ad Collegium obvii Patres in ejus am-  
 plexum ruerent, tanquam gratissimi,  
 & amabilissimi hospitis. Quam chari-  
 tatis teneritudinem videns vir quidam  
 primæ notæ, animum ad ineundam So-  
 cietatem adjecit, in qua tam bonum, &  
 jucundum est habitare Fratres, Patrésq;  
 in unum.

7. Vilnæ in Lithuania, anno 1663. P.  
 Michaël Ginkiewicz, Samogita. Pœni-  
 tentiarium Romæ ad S. Petrum egit se-  
 ptennio : Collegia in Provincia sua re-  
 xit, multa cum laude prudentiæ, & cha-  
 ritatis Nesuisciense, & Vilnense, Domos  
 quoque Professas Varsaviensem, & Vil-  
 nensem. Conciones ad populum ha-  
 buit tanta zeli Apostolici contentione :  
 ut inter dicendum venam pectoris sibi  
 ruperit. Decessit ea de sua sanctitate  
 relicta opinione : ut Illustrissimus Epi-

scopus Vilnensis cum Prælatis Cathedralibus Pontificali ritu funus deduxerit , atque à Vice - Rectore extorserit : ut in defuncti cubiculo noctem transfigere posset , recubueritque ad spondam illius in terra . *Sotuell. in Bibl. Soc.*

## V. AUGUSTI.

1. **G**regorius XIII. Pont. Max. facultatem alienandi bona Domo- rum , & Collegiorum in evidentem So- cietatis utilitatem , concessam anno 1576. Præposito Generali per Constit. *Apostolicæ Sedis.* extendit anno 1582. ut ea alienatio , permutatio , imò & cen- suum redimibilium venditio , fieri pos- sit etiam extrajudicialiter , ac summa- riè , personis sive Ecclesiasticis , sive secularibus : per Constit. *Ex debito pa- storali officii , &c.* Ex literis Apost.

2. Ex Hispania , anno 1574. solve- rant 7. Socii in Americam , qui scholis in Mexicano Collegio apertis , juven- tudem literis excolerent. Prospera primùm usi navigatione , gravi tempe- state

state excepti sunt hoc die ad insulam  
Dominicam, ità, ut omnes ad præsen-  
tem mortem se compararent. Sed  
id præludium tantùm erat mox secutu-  
ræ tempestatis, & calamitatis, quæ ad  
insulam Jamaicam illos involvit. Cùm  
enim adversi inter se concurrerent  
venti, immensæque nunc aperirentur  
voragini, nunc montes aquarum at-  
tollerentur; pulsabatur undique, & la-  
cerabatur navis, jámque confractis ma-  
lis, velisque abreptis, à puppi tanto  
hiatu aperta est navis, ut mare flumi-  
nis instar sese infunderet. Nec me-  
lior aliarum ejusdem classis navium erat  
conditio: tres ante oculos suos pereun-  
tes viderunt; aliæ in incertum dissipatae.  
Accessit gravius malum famæ, ci-  
bariis vel fluctuum vi ablatis, vel ma-  
rinæ undæ sal sedine corruptis; aquâ  
verò potabili ità putrefactâ, ut cùm o-  
ri admoveretur ad potandum, oportet  
manu adducta præstruere nares, &  
hæc ipsa non nisi ex dimenso parcè  
dabatur. Desæviit tandem post bidu-

um tempestas , atque fuit Divini Numinis bonitas , ut malis omnibus eluctati Socii , salvi omnes pervenerint .  
Mexicum. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 2.*  
*n. 133.*

*Eodem die obierunt.*

3. Panormi anno 1651. Cæsar Cajetanus , Italus , Novitius. Imagini ejus , Romæ æri incisæ cum legitima facultate , hæc cernitur subiecta epigraphe :  
*Cæsar Cajetanus abdicato Cassari principatu , & Sortini Marchionatu , suique contemptu clarissimus , ipso ætatis , & fortunæ flore , in Societatem JESU , cui se deoverat , per ineluctabiles obices admissus est. Suspexit in eo vivente Roma positum perfectionis tyrocinium ; mortui reliquias collegit Panormus.*

4. Apud Hyroquæos in America odio fidei cæsum esse Fratrem Renatum , Novitium Gallum incerto die , scripsit hoc die P. Isaacius Jogues , tormentorum ejus Socius. Causa cædis fuit , quod visus esset pueri cujusdam frontem cruce signare.

5. Com-

5. Compluti in Hispania, anno 1646.  
 P. Casparus Hurtadus, Hispanus. Post  
 sublimioris literaturæ Cathedras in Aca-  
 demia occupatas, Societatem ingressus  
 eximio animi candore, & religiosæ  
 perfectionis splendore enituit; etiam in  
 aula regia nulla mundanæ vanitatis fu-  
 lagine infectus. Theologiam Schola-  
 sticam Murciæ, Madriti, & Compluti,  
 magnâ eruditionis famâ, annos 30. &  
 amplius docuit, eamque Tomis 8. e-  
 ditis illustravit. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

6. Claudiopoli in Transylvania an-  
 nō 1586. Adamus Tensier, in obsequio  
 pestiferorum fortem animam reddidit  
 Creatori, quem ibidem partim anteces-  
 ferunt, partim secuti sunt alii 19. qui  
 vel externis, vel domesticis contagiosa-  
 lue laborantibus strenuam impende-  
 runt operam.

## VI. AUGUSTI.

1. **A** Nno 1602. habita est coram  
 Clem. VIII. Congregatio, &  
 disputatio VI. de Auxiliis gratiæ, super  
 hac propositione Molinæ, sumpta ex  
 G 5                              disput.

disput. 14. memb. 1. Negari non potest, conplurium esse Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali , elicere posse actum non solum attritionis naturalem ; id est , dolorem de peccatis ex DEI timore , cum proposito amplius non peccandi lethaliter : sed etiam actum Contritionis naturalem , qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter , includat. Defendit Gregorius de Valentia eam propositionem , copiosè adducendo authores , quos generatim citaverat Molina , scilicet S. Thomam , D. Bonaventuram , Scotum , Cajetanum , Sotum , Gabrielem , Ockamum , Paludanum , Richardum , Victoriam , & plures alios. Quando igitur adversarius de Lemos opposuit : Assertionem talem Pelagianam esse : vel ex imperitia , vel ex præcipiti zelo non advertit ; quibus , & quantis Doctoribus eam calumniam importaret. Eleuther. de Auxiliis lib. 5 . cap. 9.

*Eodem die obierunt.*

2. Viennæ Austriæ , anno 1552. P.  
Clau-

Claudius Jajus, Allobrox, unus è decem primis Societatis Patribus , sapientia , modestia , humilitate , & animarum zelo clarissimus. Petrus Canisius illum vocabat Germaniæ Apostolum, alii Angelum DEI , alii Patrem, Patronumque Catholicorum dixerunt. Consummata ejus virtus meruit oblatis Episcopatibus, Tergestino, ac Viennensi honorari , sed quos ille humiliter , fortiterque detrectavit. Placidum illi , & promptum , facundumque ingenium, atque ab omni fastu abhorrens: vultus hilaris , gestus modestus, quibus facilis illi ad aures , animosque hæreticorum factus est aditus.

3. Saffari in Sardinia , anno 1608.P. Joannes Sebastianus à Campo , Sardus. Beatisimam Virginem incomparabili prosequebatur amore, atque cultu. Sabbatis omnibus ab occasu solis ad subsequentis usque diei gallicinium , flexis genibus , nudoque capite, etiam ridente hyeme, coram ejus imagine , in Nosocomio , orando consistebat. Transfigebat jejuniō dies Veneris, & Sabbati

per totum annum : Quadragesimæ vero tempore nullum aliud obsonium, præter panem, & aquam in prandio adhibebat. Captivus à Mauris in Africam ductus, monitus est à DEI-para, ut ceteris captivis Christianis in fide stabilendis omnem operam impenderet, diciturque Rosaria plena manu obtulisse, quæ P. Joannes inter Christianos distribueret.

4. Hispali in Hispania, anno 1627. Antonius de Leon, Hispanus, Coadjutor, fortiter defensæ pudicitiæ suæ laude insignis. Cùm procacem fœminam sollicitantem se ad scelus acriter repulisset ; impatiens illa insolitæ repulsæ, amarium quendam suum induxit, ut Antonio vel mortis metu extorqueret assensum. Quæsita, & reperta est opportunitas id patrandi. Deprehensus in arceo Antonius, non diu deliberavit, sed sine mora procubuit in genua, & cervicem nudavit ad fatalem ictum. Obstupuit tantam virtutem muliercula, procumque monuit : ut viro sancto negotium non faceret. Sic Antonius superstes, & castus triumphavit. VII.

I. **R**omæ annō 1606. Sacra Congregatio Indicis confixit volumen quoddam de censuris Ecclesiasticis, sub nomine Francisci Suarez typis editum Venetiis, eodem annō apud Joannem Antonium. Scripsit quidem P. Suarez Volumen *de Censuris*, & aliud *de Immunitate Ecclesiastica*, occasione Controversiarum tunc ferventium inter Sedem Apostolicam, & Rempubl. Venetam, quod Author Paulo V. Pont. Max. obtulit, & Pontifex per Breve significavit, sibi pergratum esse, extatque hodie exemplum M. S. in Bibliotheca Barberina; sed quispiam adversæ partis, ut causæ suæ authoritatem conciliaret à tanti nominis Doctore, Venetiis imprimi curavit Tomum Suarezii *de Censuris*, antea impressum Moguntiæ, apposuitque, quod in rem Venetam facere posset; ac sustulit, quod incommodare videbatur. Hujus igitur editionis Exemplaria prohibuit sancta Congregatio, donec restituerentur folia, & loca, quæ adempta erant.

Maf-

*Maffejus in vita Suarezii, cap. 12. Et So-  
tuell. in Bibl. Soc.*

2. In Japonia, anno 1619. P. Caro-  
lus Spinola, & alii pro Christo captivi,  
compacti sunt in novum, eumque æ-  
rumnosissimum carcerem Omuræ. Non  
ex muro, vel lignis bene inter se com-  
missis, sed ex palis erectis, quorum al-  
ter ab altero duobus distabat. digitis,  
confectus fuit, ut captivi æstu, frigore,  
ventis, & imbris continuò macera-  
rentur. Latitudo hujus ergastuli erant  
palmi 16. longitudo 24. unde tantis ar-  
ctabantur angustiis captivi, ut ex octo  
supra viginti quisque vix duorum pal-  
morum, & trientis spatium occuparet,  
quanquam nec hoc concessum, quan-  
do numerus captivorum auctus est ad  
tres supra triginta. Nec pro somno  
se extendere licebat, nec quisquam a-  
gere poterat quidquam, etiam in neces-  
sariis naturæ, nisi testibus omnibus.  
**Cibus** dabatur tam parcus, ut ægre  
mortem, famem nullatenus arceret.  
**In** hujus ergastuli conspectum ubi 7.

Au-

Augusti venerunt Christi Confessores : in carmen Davidicum eruperunt : *L<sup>e</sup>tatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus !* Addidit P. Carolus : *Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.* Toleravit has ærumnas annis circiter quatuor, uno vel maximo illo solatio se sustentans, quod quotidie in ipso carcere sacrificare posset , nec dissimulare potuit , quin literis ad P. Vieram datis testaretur , carcerem illum eam ob causam sibi Paradisum videri. *Ambrosius Spinola in vita c. 14.*

*Eodem die obierunt.*

3. Tolosæ in Gallia , anno 1598. P. Sebastianus Molinæus, Belga, mirus tractandorum animorum artifex. Dicitur vix ullum tam pervicax fuisse ingenium, quod ille aggressus, non molliverit tandem , atque in sua vota flexerit. Ita se coram D<sup>O</sup>E, & coram eo , cum quo tractabat , in omnes partes , artesque versabat. Potissimum autem voci suæ dabat vocem virtutis per acrem sui

castigationem pro pœnitentibus suis,  
aut aliis obstinatis suscepitam. Pro qua-  
dam obstinatiore cervice subigenda  
mille acerrimos ictus sibi inflxit: &  
cessit illa tandem.

4 Madriti in Hispania, anno 1662.  
P. Didacus de Castillo, Hispanus, Pro-  
curatorum Societatis accuratissima Idea.  
Procuratoris officium per ipsos triginta  
quinque annos ita tractavit: ut non so-  
lum Religiosum non exuerit, sed in tur-  
ba curarum œconomicarum egregiè  
perfecerit, præsertim orandi. & se a-  
criter afflictandi studio, propter quod  
tyrannus sui dicebatur. Per annos 44.  
quibus in Societate vixit, nunquam le-  
ctulum, vel culcitram admisit sanus;  
nec vino unquam usus est, nisi æger,  
idque medici jussu. Tam accuratè o-  
mnes officii sui partes obibat, ut nun-  
quam vel ad obolum exerrâsse sit no-  
tatus; tantaque fide cum creditoribus  
suis agebat, ut sinè ulla chirographi  
obligatione promptos reperiret, qui  
ei mutuum darent. Silentibus tribu-  
nalibus adeò scitè se ad sanctum soli-

tudinis silentium componebat, ut Anachoretæ nomen invenerit.

5. Burdigalæ in Gallia , annō 1571. P. Carolus Sanguinot Gallus. Cùm ei in aula Ducis Lotharingiæ florentissima fortuna arrideret, jámque cum sponsa se digna nuptias celebraret: exemplô S. Alexii ipsa nuptiarum nocte illam reliquit, atque in Societatem se recepit, ubi tantis initiis pares in virtute progressus fecit; liquidissimis cœli gaudiis in morte, quam ante annum prædixerat, perfusus.

6. Messanæ in Sicilia, annō 1551. Joannes Antonius Novitus, Italus. Omnia virtutum, sed maximè obedientiæ studio addictus ; cùm in supremo morbo rogaretur : quid sibi à DEO impenetrari à præsentium fratrum corona percuperet? Respondit : Ut ejus de me voluntas usquequaque fiat. Quoties petebatur, quid sibi fieri vellet? non aliud, inquiebat, quàm quod Obedientiæ placuisse. Interroganti, quid ipsi in eo articulo maximo solatio esset? Obedientia, respondit. In qua virtute vellet

vel

vel maximè profecisse? in Obedientia, dixit. Jussus explicare Fratri cuidam, in quo ipsum cuperet excellere ? in Obedientia , reposuit. Quando vellet vitam finire interrogatus, dixit : cùm primùm venia data fuerit. Idem cùm quæreret Tyronum Magister P. Cornelius Vishavæus, respondit Joannes : cùm tu Pater veniam dederis. Veniam se dare subjunxit Cornelius pro prima, vel altera hora diei, & Joannes verus Obedientiæ filius , alterâ diei horâ expiravit. Ante mortem quò acriùs infestatus est à dæmone, eò gloriosiores locutus Vir obediens victorias. Vide-ri potest Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. II. n. 19.

### VIII. AUGUSTI.

I. **A**NNO 1560. suscepta est à Societate Missio in Cyprum , præmissio P. Emmanuele de Monte majore Lusitano , unà cum Socio Clemente. Navim concenderunt Venetiis sinè ullo ad navigationem apparatu , DEI penu , & arca freti , qui famulis suis non defuit,

defuit, ut etiam abundarent, & in e-  
gentes possent esse liberales. In Cy-  
pro confusio quædam erat Religionum.  
Nobiles viri plerique ritum observa-  
bant Latinum, fœminæ Græcum, Ma-  
sonitæ suum, suosque Jacobitæ, Coph-  
tæ, Armeni sub Episcopis suis. In ea-  
dem familia, & intrâ parietes eosdem,  
vir, uxor, liberi, alii alios profiteban-  
tur ritus, ferè nullum integre, & con-  
stanter. In tanta confusione cùm ad-  
verteret P. Emmanuel, se parùm pro-  
moturum, ex voluntate Archiepiscopi  
adjecit animum ad Clerum instituen-  
dum, & reformandum, habitis in pala-  
tio illius certis diebus adhortationibus,  
& Catechismi explicationibus, atque  
Præfulem juvandum in visitandis Ec-  
clesiis. Pro Collegio erigendo non-  
dum visa res matura: nec multùm pro-  
suisset, siquidem decennio post nobis-  
lissimum illud regnum in suam potesta-  
tem redegerunt Turcæ. *Sacchin. hist.*

*Soc. lib. 4. n. 48. p. 2.*

2. Anno eodem tanta fuit, in India  
Orientali, locis Goæ vicinis, ubertas  
messis;

meissis; ut ad illam colligendam totum  
mensem studia philosophica, & ex par-  
te humanitatis, in Collegio Goano in-  
termitti debuerint. In insula Ciora-  
no, præsentibus Prorege, Patriarcha,  
& Præposito Provinciali, mille ducen-  
ti hoc die baptismo expiati sunt. Post  
dies octo, in festo Assumptionis DEI-  
paræ Virginis apud Divarense mille  
quingenti quinque Ecclesiæ Christi ag-  
gregati sunt; octoginta pueri, quos  
parentes primùm subduxerant, nè ba-  
ptizarentur, mutatô postmodum consi-  
liô, oblati sunt ad baptismum. *Idem*  
*ibid. n. 255.*

### *Eodem die obierunt.*

3. Burgis in Hispania, anno 1643.  
P. Sebastianus Sarmiento, Hispanus, po-  
tens ore, ac opere Concionator, atque  
Missionarius. Illustrissimum sangu-  
inem illustriore virtute ornavit. In dæ-  
mones, quos infestissimos patiebatur, mi-  
rum exercuit imperium. Moriens Chri-  
sti, ac DEI-paræ Virginis spectabili-  
præsentia, atque Angelorum cantu re-

creatus est : quorum dulcissimâ symphoniam etiam antè , absterto gravi mœurre ex scrupulis contracto , anima ejus liquefacta fuit. Quin , & aviculam ad se recreandum promptam habuit. Cùm enim aliquando incidisset in pueros ludum sibi ex avicula filo alligata facientes : cui demum , & plumas evellebant , misellam enecturi ; rogavit Pater , nè id agerent , sed liberam , ad laudes DEO canendas dimitterent . Paruere parvuli : & avicula illa deinceps ad Patris conclave identidem advolans , totis diebus accinebat ; veluti pro servata sibi vita grates rependens.

4. Marchenæ in Hispania , anno 1662. P. Ximenius Bertendona , Hispanus. Charitate erga sanos , & ægros , ac singulari ad inveniendas ubique se demittendi artes ingenio , fuit conspicuus. Inter orandum cœlestes delicias delibabat , quas potissimum inveniebat ad pedes Crucifixi Salvatoris. Cùm peste afflatus decumberet , vidit eum lector adstantem amabili Majestate , audivitque dicentem : *Ego veni , ut vitam habeant ,*

*beant, & abundantius habeant.* Quibus verbis vis mali compressa est, ac deinde pristina reddita valetudo.

5. Cracoviæ in Polonia, anno 1636. Laurentius Gorczyn, Coadjutor, Polonus. Invitatus à P. Provinciali ad sortem Sacerdotum, maluit abjectus vivere in domo DEI. Cum aliquando post S. Synaxim se attentiùs colligeret, moneri se sensit de morte post annum op petenda, & quotidie recitando DEI-paræ Virginis officio pro felici morte se paravit, & anno transactō ad extrema devenit. Suprema nocte infestum habuit dæmonem, contra quem jussus DEI-paræ opem implorare, videbatur illam videre præsentem, dum auditus est eam sic alloqui : Ubi eras ô Domina ? hostis meus, suis me voluit laqueis implicare. At tibi acceptam reddo de hoste victriam. Quibus dictis placidè conquievit.

## IX. AUGUSTI.

I. Anno 1601. S. P. N. Ignatius integrum ægræ matronæ contulit sanitatem in Insula Majorica. Laborabat illa dirâ chiragrâ, & tam fœdo, pe-

periculosōque apostemate , ut medici  
inutilem suam operam videntes , eam  
prorsus deseruerint. Humanī igitur  
inops remedii , intercessorem apud  
DEUM invocat S. Ignatium , se illi ex  
animo committit , spondens : si per eum  
sanaretur , novemdiali precatione se a-  
ram ejus veneraturam. Aderat tertius  
à promisso , dies Augusti nonus , cùm se  
chiragræ , ulcerisque expertem , inte-  
gre persanatam est admirata. *Bartolus*  
*in vita S. Ign. lib. 5. n. 24.*

2. Post beatum transitum S. Patris ,  
cùm anno 1557. Jacobus Lainius rege-  
ret Societatem ut Vicarius , donec elige-  
retur Præpositus : quidam cum Boba-  
dilla malè contenti de eo regimine tur-  
bas ciebant , recurrentes ad Cardina-  
lem Carpensem tanquam arbitrium  
causæ. Cardinalis pronunciavit : ut  
Lainius Societatem gubernaret , adhi-  
bitis ad consilium primis Patribus , a-  
liisque Professis. Vocati hoc die ad  
consilium Patres congregati super eo  
decreto , plerique censuerunt , standum  
esse Cardinalis decreto propter bonum  
pacis;

pacis ; quamvis Instituto nostro conforme non sit, ut præter Consultores ordinarios , Professi alii adhibeantur ad consilia. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1.n.84.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Bohemia anno 1629. P. Matthias Burnatius, Germanus, zelosus per Bohemiam , & admodum fructuosus Missionarius. Propter spolia animarum hæresi detracta, à rusticis hæreticis quæsus ad necem , accepto in capite vulnere, furcâ confossum, & glande plumbea trajectus occubuit.

4. Antverpiæ in Belgio , anno 1613. P. Joannes David, Belga. Ante initam Societatem , Contraci in patria sua facundum, & tam zelosum agebat Curionem : ut ab hæreticis ter ex Urbe proscriptus fuerit. Tanta illi pudicitia , & integerrimæ famæ cura fuit: ut nec Matris admiserit contubernium. Durus illi , ac vilis lectulus , & penes hunc loculus sepulchralis ad mortis memoriam refricandam. Gandavi Sanctorum statuas ab Iconomachis hæreticis dejectas , quâ publicis , quâ privatis im-

impensis restitui fecit, ubique & dicendi, & scribendi labore indefessus. Libros, & libellos supra viginti ab ipso editos, recenset Sotuellus in Bibliotheca Societatis. Quos contra hæreticos scripsit, acris, & faceti ingenii salibus condidit ; quos autem pro Catholicis ; eos iconibus elegantibus illustravit.

## X. AUGUSTI.

**I.** **R**Omæ in domo Probationis, anno 1568. festum incliti Martyris S. Laurentii, singulari pietate celebravit B. Stanislaus Kostka, utpote qui ipsi consueta Sanctorum sortitione, obtigerat in Patronum ejus mensis, quem non nesciebat sibi esse supremum, & fatalem. Pridie festi convenerat Rectorem, recensendo non pauca devotionis, & mortificationis exercitia, quibus sequentem diem celebraret. Concessa pauca quædam : inter cetera, ut in triclinio publicè in se flagello adverteret, & studio humilitatis coquo in culina operam præstaret sequenti die. Ipso igitur festo post obita rite divina,

omne matutinum tempus , coquo ad minister , exegit . Secundum prandium interrogatus publicè à Novitiorum Magistro , quid inter labores matutinos animo agitâsse ? respondit : ex culinæ igne , quem habuerat in conspectu , venisse se in considerationem ignis , quô S. Martyr tostus fuerat . *Sacchin. hist. Soc. lib. 4. n. 89. p. 3.*

2. In Suecia institutæ Missioni optatus eventus non respondit anno 1580. Nihil omiserat laboris , & industria P. Antonius Possevinus , ut rem Catholica m ibi promoveret . Sed Rex seditiōnem populi prætendens , & jam nimium devinctus sectariis , nihil admittebat sanctorum consiliorum . Ergo Possevinus , videns nullam superesse spem operæ , cum pretio ponendæ in Suecia : modestè , atque ita , ut relinqueret commercio patentem viam , & infixos in animo Regis acres aculeos , relictis etiam scripto responsionibus ad multas ejus quæstiones , commeatum petiit , discessitque ipso S. Laurentii festo è Suecia . *Idem p. 4. hist. Soc. lib. 8. n. 149.*

3. Po-

3. Potami in Calabria Vincentius, Martinus voti reum se stitit S. Xaverio, ob equum suum non sinè prodigio fanaticum. Idem ibidem egit hac die matrona nobilis Domina Isabella Galeti, recepta ope S. Apostoli Indorum valedicente jam desperata. *Ex lib. Mirac.*  
*Potam. n. 227. & 228.*

*Eodem die obierunt.*

4. In nova Francia, anno 1661. P. Renatus Menard, Gallus. Algoquinos, Hurones, Iroquoios crudelissimè barbaros, excoluit tanto fructu: ut *Fructuosi* cognomen apud Socios fuerit consecutus. Singulis noctibus tres dabat horas orationi, nuda humo contentus pro lectulo, per plures annos nullam panis micam, nullam vini guttam gustavit. Vedit laetus ardenter rogum, quem illi comburendo extruxerant barbari. Famem diuturnam, crebraque naufragia perpessus, denique in arduo ad Hurones itinere, vel ærumnis confectus, vel à barbaris, ut indicia quædam prodebat, interemptus.

5. Goæ in India Orientali, an. 1572.  
 P. Melchior Nunnez, Lusitanus. In ipso limine tyrocinii Societatis insignem de se reportavit victoriam, quando Nobilissimus adolescens vervecem humeris per urbem frequentissimam portavit. In India, Japonia, Sinis, multa, & ardua Apostolico spiritu gessit, toleravitque. In Sinarum portu intellexit apud quendam, qui morienti S. Xavero adfuerat, detineri lipsanothecam, quam Sanctus de collo gestaverat, multis egit, ut tam nobile pignus ab eo extorqueret. Æneum, ac rude receptaculum erat, in quo continebatur perexiguum quiddam de lipsanis S. Thomæ Apostoli, Nomen S. Ignatii ex ejus epistola resectum, & Professio ipsius manu exarata.

6. Iconiscimæ in Japonia, anno 1622.  
 Augustinus Ota, Japon, Catechista impiger, & planè Religiosus. Socius in carcere fuit P. Camilli Constantii; quo flammis consumpto, Augustinus cum plurimis aliis securi percussus, victima fidei cecidit.

## XI. AUGUSTI.

I. IN Congregatione I. Generali, anno  
1558. propositum fuit : quomo-  
do occurrendum esset illi incommodo,  
quod ex votis simplicibus Coadjuto-  
rum, & Scholasticorum nasci posset,  
cum illi post emissâ talia vota, possint,  
licet peccent, uxorem ducere, & ma-  
trimonium erit validum ? unde quære-  
batur ulterius : an consultum esset, tria  
vota solemnia emittere aliquando hu-  
jusmodi fratres ? Statutum fuit : nihil  
immutandum esse de Constitutionibus,  
vel de ratione votorum simplicium.  
Si quid autem incommodi indè acci-  
deret, ut pro re nata provideretur :  
& itâ exclusum fuit, quod de Profes-  
sione dicebatur. *Congr. i. decretum 94.*  
Postea anno 1584. Gregorius XIII.  
per Constitutionem *ascendente Domino*,  
statuit : ut Votum simplex Castitatis in  
Societate emissum post biennium ty-  
rocinii, esset impedimentum dirimens  
Matrimonium, ideoque Matrimonium

jam non tenet , nisi contractum sit post legitimam è Societate dimissionem.

2. Potami insigni miraculo liberata est , à 5. Orci satellitibus infessa puella ab annis septem. Ducta primum est ad S. Dominicum de Soriano , celeberrimum à multitudine , & magnitudine miraculorum. Sed Sanctus hic , sicut & alii , eum honorem detulit S. Indiarum Apostolo. Cùm enim Patres Prædicatores inter exorcismos invocarent Sanctos varios , pacata fuit puella : ubi autem S. Xaverius nominatus est , tam enormiter vociferatis sunt tartarei inquilini , ut templum ruere videretur. Suaserunt ergo prudenter , ut Potamum ad S. Xaverium duceretur. Cui loco cùm appropinquaret puella , vix à multis , validisque detineri poterat , quin indè se properet , & in fugam daret. Inducta in templum , feliciter , nec magnō negotiō , ope Sancti liberata est. Ex libr. Mirac. Potam. num. 55.

*Eodem die obierunt.*

3. In Anglia anno 1650. P. Matthæus Grimes Bazier, Gallus. Impigrum, sagax, & ad sacras operas planè factum ingenium, diu exploratorum solertia exercuit, & elusit. Tandem tentus, ærumnis carceris consumptus est; latus, quòd in tam nobili causa captivus moreretur; sed mæstus, quòd morte incruenta.

4. Lugduni in Gallia, anno 1617. Franciscus Caguinus, Coadjutor, Gallus. Innocens illi, ac tenera in Societate conscientia: sed de anteactæ vitæ peccatis sollicitus, dolorem aliquem à DEO pro illis expiandis petiit: & repentinus, idémque acerrimus, dentium dolor eum invasit. Nihil ei petenti negatum à DEO ferunt: inter quæ illud est: ut in Societate tot annos viveret, quot vixerat in seculo. Petiit, & impetravit.

5. Mindanai in Philippinis insulis, anno 1596. P. Joannes à Campo, Hispanus, vir eximius incredibili pietatis

fervore, dexteritate, comitate, laboribus, obedientia, & victoriis de se ipso relatis. Virtutem ejus eximiam, etiam cum adhuc in Hispania degeret, honoravit DEUS multis visis cœlestibus, quibus ne nimium fideret, cum moneretur à P. Ludovico de Ponte, Asceta peritissimo, ideoque visa sua tacitus ipse examinaret, sensit à DEO sibi dici: Si tibi esurienti ramus fructibus onustus offeratur, quid agis? Respondit Joannes: Fructus lego, & comedo, ramum abjicio. Atque hoc ipsum ajebat Dominus, tibi agendum est cum his. E visis hisce fructus lege, disce humilitatem, patientiam, aliisque virtutes, & reliquis de visione cogitationibus supersedeas. Vitam agebat omnium horarum ad sacras expeditiones, & nutum obedientiae. Diebus festis duabus ante alios horis surgebat: ut excurreret extra urbem pro animalibus juvandis. Tandem Philippinas impetravit, ibique sanctè decessit.

6. Wartenbergæ in Silesiâ, anno 1651. P. Julius Cæsar Coturius, Belga, parvuli JESU cultui eximiè addictus,  
Festis

Festis ejus natalitiis quotidie per dimidiā horam in cubiculo prostratus eum adorabat. Novædomi Rector cùm es- set, in gravi penuria Collegii opem S. Angeli Custodis imploravit, & pecuni- am reperit in pluteo, ubi nullam antea posuerat, vel viderat. Glacii peste infectis salvus servivit : Wratislaviae Re- ctor, per orationem totis noctibus pro- tractam, de hæreticorum machinis tri- umphavit.

## XII. AUGUSTI.

1. **H**erì liberata à quinque tyrannis Stygiis puella, hodie Confes- sione expiata, & S. Commuūione refe-cta, Sospitatori suo S. Xaverio multas gratias egit, publicè contestata: quod ante liberationem tribus noctibus ei ap- paruisset Sanctus, superpelliceō, & sto- lā vestitus, dicens: Ego Franciscus vo- cor: Potatum perge, me ibidem ve- neratura; & gratiam impetrabis inte- græ sanitatis. *Ex lib. heri cit.*

2. In Hispania, annō 1600. insignem epistolam in favorem P. Molinæ, & Li- bri ejus dedit A. R. P. Aquilinus An-

tolinez Augustinianus , qui postquam primarius in Academia Salmanticensi fuisset Theologiæ Professor, ad Compostellanum Archiepiscopatum eetus est. Scripsit autem Romam ad R. Patrem Gregorium Nugnez Coronel- lum , familiæ Augustinianæ Lusitanicæ Procuratorem Generalem , & Congregationum de Auxiliis Secretarium . Orsus est epistolam sic : Gratia Christi &c. Intelligo de novo tractari in urbe, ut ad castigationem , & censuram revocetur *Concordia* P. Doctoris Molina : pro quo doleo , ejus doctrinam , jam in tranquillitate positam , novis quassari procellis. Hoc ausim vestræ Paternitati fidenter testari : ejus opiniones in hac Academia , & in hac nostri Ordinis Provincia , tanto cum plausu admissas : ut vix sit , qui alias vel legat , vel defendat. De me id affirmare valeam : postquam liber Molinæ publicum aspexit , mihi , & in lecturis , & in oppositionibus , in quacunque literaria exercitatione , plurimo adjumento fuisse , æquumque est , ut viri omnes docti

docti libro tam utili faveant, &c. *Disquisitiones in Congr. de Auxil. p. 2. c. 7.*

*Eodem die obierunt.*

3. Insulis in Belgio, anno 1659. P. Florentius Montmorency, Belga, primariis omnibus in Societate muneribus, exceptâ supremâ Præfecturâ, laudabiliter gestis clarus. Cùm Romæ ipsum ad Societatem admisisset P. Claudius Aquaviva, scripsit de eo ad P. Manaræum, videri sibi Florentium idoneum, in quem aliquando universæ Societatis gubernatio posset incumbere. Tantus cùm esset, libens tamen aliorum sententias inter regendum auscultabat, & probè expendebat dicens: *Homo unus, homo nullus.* Quæ hodie expediri poterant, in crastinum minimè differebat; & nè quidquam per inconsiderantiam excideret, schedulam rerum gerendarum pulpito affixam habebat præ oculis. Erga senes, ægros, hospites, & afflictos tenerrima charitate afficiebatur, eosque liberaliter juvabat. Crucifixum è collo pendulum identidem è sinu extra-

Etum suavissimè deosculabatur , dicens :  
*In manibus tuis descripsisti me , lege scri-  
 pturam tuam , & salva me.*

4. Paderbornæ in Germania , annō 1629. Joannes Bitter , Magister , Germanus , laudatus ab insigni studio humili-  
 tatis , obedientiæ , & misericordiæ , qui-  
 bus alternis diebus ad portam Collegii  
 ordinariam distribuebat stipem . Cum  
 paulò post ejus mortem ( quam gravi ca-  
 tarrho repente oppressus , flexis genibus  
 oppetiisse , repertus est ) alii quoque duo  
 Fratres Petrus Hauzer , & Petrus Rhor  
 obiissent : anima Petri Hauzer in templo  
 comparens Fratri Sacristæ , significavit :  
 Joannem Bitter altero Sacro , Petrum  
 Rhor celerius , è Purgatorii flammis  
 reptos esse . Ipsa quoque , quæ compa-  
 ruerat anima , atro vestitu in splendi-  
 dum repente mutato , visa est ferri in  
 cœlum .

5. Varsaviæ in Polonia , annō 1646 .  
 P. Joannes Gruzewski , Litvanus . Vir  
 fuit magnæ perfectionis , magna in sub-  
 ditos charitate , zelo erga proximos , can-  
 dore in agendo , severitate in se ipsum ,  
 &

& assidua cum DEO animi conjunctio-  
ne , de qua etiam Tomos tres conscri-  
psit. Collegio , & Academiæ Vilnensi-  
bis Rector, Domibus Professis Vilnensi,  
& Varsaviensi Præpositus , ac demum  
toti Provinciæ Litvaniæ præfuit Pro-  
vincialis , omni ex parte laudatus. Qui-  
dam è Patribus familiarior P. Joanni ,  
cùm curiosè illum diu observâsse, scri-  
ptô testatus est : se nihil deprehendere  
potuisse , quod venialis noxæ speciem  
haberet. Interulâ lineâ communi vi-  
debatur uti : sed collari tantum , & ma-  
nicis assutum erat aliquid telæ tenuio-  
ris , cetera cilicium erant. *Sotuell. in  
Bibl. Soc.*

### XIII. AUGUSTI.

**I.** **L**ainius Præpositus Generalis è  
Gallia , ubi rem Catholicam e-  
gregiè promoverat , annô 1562. re-  
vocatus à Pontifice Tridentum ad  
Concilium , quaquà ibat tanta Proce-  
rum , Præsulum , populique humanita-  
te excipiebatur ubique , ut , nè moras  
nimias pateretur , iter studiosissimè ac-  
celerandum fuerit. Tridentum tan-  
dem

dem diu expectatus , & nuncio etiam obviām missō festinare jussus , insigni omnium gratulatione ingressus est hoc die. Ad publicum conventum vocato , Rituum Magister in Generalium subselliis proximum assignavit locum sedendi post Canonicorum Regularium Generalem , tanquam Præposito Generali Ordinis approbati Clericorum Regularium. Reluctantem , & ad infimum inter Generales locum sese recipientem monuerunt Legati , Præfides Concilii , non ipsius , sed suum esse diligere , & designare cuique locum suum. Sed ægrè id ferentibus antiquiorum Ordinum Generalibus , nè quid turbarum oriretur , Lainius persistit in deprecando , nè locum assignatum occupare cogeretur , utpote Generalis Ordinis junioris. Legati denique rem ità temperârunt : ut Lainius locô extraordinariô in subselliis Episcoporum federet , sententiam autem post alios religiosorum Ordinum Generales diceret. Quod temperamentum visus est universus Venerabilium

Patrum Senatus probare, nec Lainio  
licuit non acquiescere. *Sacchin. hist. Soc.*  
*p. 2. lib. 6. n. 75.*

2. In Japonia, anno 1590. P. Vali-  
gnanus Visitator, post mortem Vice-  
Provincialis Coëllii, admonitus de e-  
jusdem minus convenienti agendi mo-  
do, neglectu consiliorum, & in sensu  
suo quadam pertinacia; indixit in hunc  
diem extraordinarium conventum Pro-  
fessorum omnium, & Superiorum So-  
cietatis, existentium in Japonia. In eo,  
& præterita quædam disposita retracta-  
vit, & de præsentibus futurisque sen-  
tentiâ cujusque Patrum patientissimè  
auditâ, concordi cunctorum suffragio  
statuit. *Sacchin. p. 5. hist. Soc. lib. 10.*

*n. 191.*

3. In Calabria Deliam Comitem post  
partum dolores acerbissimi ad extrema  
deduxerant, votô ad sanctum Xave-  
rium Pontamensem factô, mox inte-  
græ sanitati restituta, votum hoc die  
exolvit. *Ex lib. Mirac. Potam. num. 232.*

Eo-

*Eodem die obierunt.*

4. Romæ, annô 1621. Joannes Carolus Berchmans, Scholaisticus, Belga, admirabili innocentia, & morum compositione ad omnes Regularum apices clarus. B. Aloysium tam scitè, feliciterque imitabatur: ut alter vel redivivus Aloysius videretur. De illo Philosophiam Romæ defendantem dicebatur: Angelum, si humana carne amictus, id munus obiret, non majore modestia id facturum. Moriens Crucifixum, Regularum libellum, & B. V. Coronam arctè complexus, dicebat: *Hæc tria mihi charissima, cum his libenter moriar.* Altera nocte, postquam decesserat Joannes, vidit quidam in Collegio Romano, vir spectatæ fidei, & religionis DEI-param V. sellæ insidentem, deferri in Sociorum cœtum, succollantibus bajulis B. Aloysio, & Joanne Berchmans. Quod forte symbolum fuit, pii sermonis de eadem Virgine, ab illis inferri soliti in consuetis Sociorum colloquiis.

5. Antverpiæ in Belgio, annô 1619. P. Adrianus Crucius, Belga. In regendo,

do, docendo, ægros tractando eximus, pestiferorum obsequiis immortuus est. Quotidie in se flagello sæviens, identidem se compellabat: *Adriane, sanguinem pro sanguine.* Quot annis certum palato gratorum fructuum genus deligebat, quod indictâ sibi ab iis abstinentiâ in annum DEI-paræ V. offerebat.

6. Parmæ in Italia, anno 1657. P. Franciscus Raulinus, Italus, moribus planè Angelicis amabilis, & omnibus amatus. *Quamvis Theologicam Cathedram compluribus annis cum laude, & labore teneret: puerorum institutio-*ni impensè se tradebat, tum Catechesim per Urbem explicando, tum Sodalitates gubernando, quarum tres instituit. Unam è pueris infimæ fortis, alteram è filiis mercatorum, utramque mirâ constantiâ in fide, & pietate instruebat fructu magno. Tertiam è selectissimis Scholasticorum conflaverat, cuius scopus erat, ad perfectionem erudiri meditatione, & virtutum solidarum exercitiô, unde ex illa multi ad religiosa castra transibant. Visus est post  
mor-

mortem, à persona fide digna, animam illius cœlum petentem obvius Christus Dominus amabilissimo amplexu strin gere, atque S. Ignatio auditus est dicere: *Accede Ignati, perfruere tuis, meisque laboribus*; scilicet in excolenda anima illa positis.

#### XIV. AUGUSTI.

I. **A**NNO 1605. Clemens VIII. interveniente Ducissa Sforciana, concessit, ut imago B. Stanislai Kostka publicæ venerationi posset exponi. Quam gratiam ab ipso Christo Domino impetratam primùm esse à Ven. P. Nicolao Lancicio, traditur in ejus Vita. Ardebat ille, & incitari se mirum in modum sentiebat, ut Beati prædicti imaginem publico cultui exponi curaret. Per ardente ergo orationem recurrit ad ipsum Christum, humili supplicatione eam gratiam petendo. Ingeminanti preces videndum se Patri Nicolao præbuit Salvator hilari vultu, & protensa manu dextera candidum folium dimisit, in quo nitidissimo charactere scriptum erat: *Fiet tibi, sicut vis,*

abscessitque relicta in animo Patris ingenti certitudine felicis eventus. Retulit visum Simoni Jenerio, & post aliquot hebdomadas secutum est Pontificis indultum. *Balbinus in vita P. Lanc.*  
*lib. 2. c. 7.*

2. Viennæ Austriæ, anno 1583. per exorcismos nostrorum legio dæmonum expulsa est è puella hæretica Anna nomine. Hanc avia venefica desponderebat dæmoni, veneratque misera in manus integræ legionis procorum, seu porcorum infernalium. Cùm Pater puellæ apud ministros suos nihil opis reperiret, ad **Catholicos Sacerdotes** confugit: sed exorcismi instituti nihil profecerunt. Imperator solicitatus à parente, puellam committit curæ Episcopi, hic eam ablegat ad Patrem Rectorem Collegii nostri, cum literis Imperatoriis. Nostri ergo suscepitâ miseræ curâ, plurimùm extorserunt per Exorcismos, ut impuri hospites se prodarent; deinde post multos labores, ut per turmas excederent, inter plaustra conviorum, quæ jactabant in Jesuitas.

Que-

Querebantur subinde , nullum esse in mundo sibi infestius hominum genus , nullum sibi fore gratius spectaculum , quām si viderent Jesuitas omnes in uno patibulo suspensos . Tandem pridie festi Assumptionis DEI - paræ V. inter horrendos clamores , & ejulatus dux ipse legionis excessit , puellâ humili afflictâ , & pro mortua per horas 4. relictâ . Postridie à peccatis expiata , ab ipso Episcopo Viennensi , qui in æde nostra universo populo rem enarravit , pasta est epulo divino . *Gomez in elog. Soc. p. 3. Classe 5. & Sacchin. in hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 78.* qui addit : Aviam quoque hæreticam , & veneficam , singulare DEI miseratione respectam instantibus Patribus conversam , dæmonibus , & hæreticis nuncium remisisse , denique incendium , quo viva est exusta , patienter tolerâsse .

*Eodem die obierunt.*

3. Romæ , annô 1591. P. Hieronymus Platus , Italus , eximia virtute usque ad Sanctimoniac famam conspicuus . Ipsijs

psius partus est celebre illud, *de Bono Statū Religiosi* volumen; quod innumeros ad castra religiosa, & accuratiorē Christi imitationem impulit. Præclarum aliud moliebatur opus de studio Paupertatis: sed quia lucubrations in chartas solum dissipatas conjecerat, Co-adjutor cubiculo ejus componendo intentus, chartas illas velut inutiles, omnes in ignem injecit, Patre Hieronymo tranquilla mente illas DEO offerente in holocaustum.

4. Neapoli, annō 1618. P. Julius Mancinellus, Italus. Spiritu, & laboribus Apostolicis clarus. Mira egit in Europa, & Africa pro salute animarum, miris à DEO gratiis in eum finem instructus. Sub auroram quotidie ad sacram Pœnitentiæ tribunal se conferebat, nec indè redibat ante serum vesperum, nisi cùm faciendum esset Sacrum, dicendum pro Concione, atque ad mensam eundum: ibidem solitus suas preces interpolatim absolvere, & conciones elucubrare, Constantinopoli, Algerii, & aliis locis barbaris totas noctes insu-

me-

mebat confessionibus audiendis in carceribus, & aliis sordidis locis. Ut verò omnibus nationibus idoneum se præberet ; præter Latinam , & Italicam linguas condidicit Hispanicam, Gallicam, Belgicam, Sclavicam , Valachicam , cui solertiæ DEUS prodigiosam addidit gratiam, intelligendi quovis alio idiomate loquentes, ità ut ab illis vicissim intelligeretur, licet extra confessionem se nullo verbo intelligerent. Imò , & surdi, & muti audiebant , & loquebantur inter confitendum ipsi. Labores ejus Apostolicos multis prodigiis, & cœlestibus solatiis promovebat , & recreabat DEUS ; visique sunt Angeli cœlestes ipsi texentes coronas.

5. Cracoviæ in Polonia, anno 1625. P. Georgius Tyszkiewicz, patre Palatino Brestensi ortus. Cùm Romæ literis sese excoleret,in gravem delapsus morbum , vovit eam se familiam sacram ingressurum, si convaluisset , cuius hominem, primùm domo prodiens offendisset. Convaluit , inciditque in A.R. P. N. Mutium Vitellescum. Ergo voti reus

reus ad tyrocinium Societatis se recepit, ubi ita profecit, ut in eximum JESU Socium creverit, & post Lauream, Theologicam, variaque Collegia laudabiliter gubernata, Provinciae Polonæ Præpositus obierit. *Sotuellus in Bibl. Soc.*

## XV. AUGUSTI.

**I.** **P**Arisiis anno 1534. primi Societatis

Patres, votis emissis in perpetuum se oblaturi DEO, delegerunt diem Assumptæ in cœlum DEI-paræ V. sacram ea spe: quod, & gratiora Divinæ Majestati essent futura illa vota per manus Matris oblata, & ipsa servulos suos singulari, maternoque favore esset dignatura. Locum actui illi consentaneum designarunt Templum ejusdem Virginis in monte Martyrum situm, spatio dimidiæ leucæ distans ab urbe. Ibi Petro Fabro, qui solus erat Sacerdos, celebrante, prima sua nuncuparunt vota de servanda perpetua castitate, & pauperitate, de transmissione in Terram sanctam, & deferenda Pontifici maximo, opera sua in animarum salutem. Post

ex-

expleta pietatis officia , diei residuum duxerunt ad fontem, ex collis ejusdem radice profluum , & amœnum , atque S. Dionysii Areop. olim sanguine consecratum : mensa data pauper , & frugalis , sed piis sermonibus sapida. In perpetuam hujus rei memoriam , in superiori parte dicti Templi affixa deinde est ænea lamina cum hac Inscriptione :

*Siste Spectator , atque in hoc Martyrum sepulchro probati Ordinis cunas lege. Societas JESU , quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoscit , Lutetiam Matrem , anno salutis M. D. XXXIV. Augusti die XV. hic nata est : cum Ignatius , & Socii votis sub sacram Synaxim religiosè conceptis , se DEO in perpetuum consecrârunt ad Majorem LEI Gloriam. Bartolus in vita S. Ignat. lib. 2. n. 6. ubi addit : Ludovicum XIII. Galliarum Regem id ipsum sibi , & regno suo eximio honori duxisse ; prout testatus est in literis ad Gregorium XV. datis , pro Canonizatione S. Ignatii. Regno , inquit , meo hoc decus obtigit : ut tantus DEI servus in almam*

hanc

banc meam veniret Lutetiam , ad comparandas sibi scientias , lectisque in ea Sociis in eae sacra ad montem Martyrum Societatem suam inchoaret.

2. Auspicatissimus fuit hic dies etiam Japoniæ : siquidem ipso lucente , in eam primum invectus est magnus Indianum Apostolus S. Xaverius , anno 1549. frustrà frementibus , & tempestates , aliisque impedimenta moventibus tenebrarum principibus. *Bartolus in vita lib. 2. in fine.*

3. S. Aloysius Gonzaga , cum die Assumptionis DEI-paræ V. Madriti post Communionem ardentius eidem commendaret suam de vita statu diligendo deliberationem , disertam audivit vocem : *Societatem IESU ingredere.* Paruit fideliter , & fortiter , superatis maximis impedimentis. *Nadasi in Anno dier. Mem.*

*Eodem die obierunt.*

4. Romæ anno 1568. S. Stanislaus Kostka , Polonus , ipso Assumptionis DEI-paræ V. die , ut optaverat , & per *Pars II.* I S.

S. Laurentium Martyrem petierat, ter-  
ras reliquit, & Societati triumphanti ag-  
gregatus est. Quem vitæ statum ample-  
xurus esset, prodidit SS. JESU nomen  
gravidæ Matris pectori charactere pur-  
pureo inscriptum. Admiranda sunt,  
quæ egit, tulitque, ut in Societatem reci-  
pi impetraret adolescens tenerimus, &  
nobilissimus. Extra illam innocens, &  
Sanctus, intrà illam Angelus, & emi-  
nentis Sanctitatis idea absoluta. Quo  
in respectu esset apud Angelos, & An-  
gelorum Reginam, docuit epulum di-  
vinum ei ab illis ministratum, & Infans  
JESUS ab ista oblatus. Febris, quâ obiit,  
magis charitatis, quam infirmitatis ar-  
dor erat, qui etiam aliâs itâ exarserat: ut  
frigerando cordi frigidâ imbutos pan-  
niculos oporteret adhibere. Primus è  
Societate Beatorum obtintuit honores,  
quos vix aliquis Sanctorum Confesso-  
rum ætatis tam teneræ adeptus est. Fe-  
stum ejus tanquam unius è principali-  
bus Regni Poloniæ Patronis primâ Do-  
minicâ post S. Martinum celebrari con-  
cessit Clemens X.

5. Compluti in Hisp. anno 1602.  
 P. Ignatius Mendoza, Hispanus. Illo  
 in Societatem assumpto dixit Rex Hisp.  
 Philippus III. *Ignatium partem optimam*  
*elegisse.* Fuit unus è primæ classis prin-  
 cipibus, Juris utriusque peritissimus, ac  
 Regum Philippi II. & Philippi III. Le-  
 gatione apud Regem Galliarum, & Ve-  
 netos egregiè functus. Patres in tanta  
 reverentia habuit, ut diceret: se coram  
 illis loqui, imò nè hiscere quidem au-  
 dere. Culinæ officia, & quidquid ad  
 sui contemptum faciebat, magno cum  
 gustu obibat. Ipsis primis tyrocinii  
 mensibus visa est ejus virtus cœlo ma-  
 tura, dicebátque moriens: Se quidem  
 de cœlo optimè sperare ob ea, quæ pro  
 Christo dimisisset; ceterū in hac vita  
 jam se satis præmii obtinuisse, quod li-  
 cuerit in Societate bimestri tempore vi-  
 vere.

6. Vallisoleti in Hispania, anno 1647.  
 P. Didacus de Baëza, Hispanus. Post  
 confecta docendo Philosophiæ, ac Theolo-  
 giæ spitia, applicatus Cathedræ Eccle-  
 siasticæ, inter primos habitus est Hispa-

niæ Concionatores, nec illam deseruit usque ad postremos vitæ annos. Nè vero cum sono vocis evanesceret prædicatione: Tomis undecim in Veteris, & Novi Testamenti Historiam editis extendit illam in secula. *Sotuell. in Bibl. Societ.*

## XVI. AUGUSTI.

1. **A**nno 1670. Clemens X. indulxit: Aut in Polonia, Litvania, & alibi à Patribus Societatis JESU ubivis terrarum existentibus, & ab externis Sacerdotibus in templis nostris Missa dici possit, & officium recitari 13. Novemb. in honorem B. Stanislai Kostka. *Bullar. Constit. 12. Clementis X.* Deinde anno 1671. declaravit indultum illud: nimirum recitari posse officium, & Missam dici in honorem prædicti B. Confessoris in quibusvis Ecclesiis ( etiam non Societatis ) in Regno Poloniæ, & M.D. Litvaniæ; extra verò hoc regnum, & Ducatum solum in templis Societatis. *Bullar. Constit. 45. Clem. X.*

2. Card. Bellarminus cum bona via Pontificis Gregorii XV. recepit se in Domum Probationis Romanam: ut ibi

ibi se disponeret accuratiūs ad bonam mortem, ubi spiritum hauserat sanctæ vitæ. Gravis enim annis, & viribus studiorum, aliorūmque negotiorum contentionē attritis, effictim petiit per Card. Dandinum, & Præpositum Societatis Mutium Vitellescum, liberari ab aula, & sacrarum Congregationum negotiis, ut DEO uni, sibique vacare posset. Impetratā eā gratiā, nihil alterius negotii deinceps attigit, nisi in promovendo negotio Canonizationis S. Philippi Nerii: quod cūm insigni zelo egisset, domum redux, duplici tertiana statim correptus est, ac post dies non multos extinctus. *Petras. in vita pag. 528.*

### *Eodem die obierunt.*

3. Hucti in Hispania, anno 1622. P. Franciscus de Otazo Hispanus. Innocentissimæ quamvis esset vitæ, de salute tamen sua anxius DEI - paræ V. opem imploravit. Adfuit illa spectabilis cum splendida Sanctorum corona, librum magnum, & splendidum manu gestans,

quem voluit à Francisco inspici , & legi ,  
dicens : Eum esse *Librum Vitæ*. Inspe-  
xit ille , & initio unius paginæ legit no-  
men suum Francisci de Otazo aureo  
charactere exaratum. Aliorūmque  
quoque prædestinatōrum complurium  
nomina ostendit Virgo , dicens : *Fili , hos*  
*quoque tuā operā ad Beatorum felicitatem*  
*perducturus est DEUS.* Sic recreatus , a-  
biit in insulas Philippinas , ubi multo  
labore quām plurimos convertit ad fi-  
dem , & frugem .

4. Nangasachi in Japonia , annō 1633 ,  
P. Emmanuel Borges , Lusitanus , cum  
duobus Sociis Novitiis Japonibus . Post  
multos labores , & exilium toleratum ,  
cūm rediissent in Japoniam ad fidem  
propagandam , tenti sunt , & capite in  
scrobum depresso suspensi gloriosum  
agonem confecerunt .

5. Pontanæ in Hibernia , annō 1643 .  
P. Joannes Bathæus , Hibernus , cum fra-  
tre suo germano , Sacerdote seculari ,  
ab hæreticis militibus comprehensus , in  
forum raptatus , stipiti alligatus , &  
plumbeis globis trajectus .

6. Gon-

6. Gonsani in Sicilia, anno 1624. P.  
 Carolus Romanus, Italus, Virginitatis  
 flore, & innocentia ab omni lethifera  
 labe immuni insignis. Mundo igitur  
 ejus cordi non semel divinitus datum  
 est secreta cordium penetrare. Domum  
 Lauretanam cum inviseret, DEI-param  
 V. cum parvulo JESU, & S. Josepho  
 spectabilem habuit per quietem. Pro  
 adolescente quopiam impuris assueto  
 affectibus, quem ad mortem disposuerat,  
 cum Sacrum celebraturus exiret ad al-  
 tare, vidit ejus animam igne inundante  
 involutam, & dicentem audivit: Dam-  
 natam se ad æterna incendia, quod ob-  
 scenæ cogitationis delectationem ad-  
 misisset post absolutionem Sacramenta-  
 lem.

## XVII. AUGUSTI.

I. **A** Nno 1559. Paulus IV. Pontif.  
**A** Max. moritur. Alternis mo-  
 vebatur in Societatem affectibus, jam  
 propensis in eam, jam adversantibus.  
 Cum quædam in Instituto Societatis  
 reperisset non ad mentem suam con-  
 cepta, aliam inducere formam deside-  
 ravit:

ravit : sed tandem ceteris neglectis constituit , nec ullis rationibus averti potuit : ut Generalatus esset tantum trien-nalis , & Chorus publicus induceretur in Societatem , prout defacto Romæ in-ductus fuit . Post mortem Pauli rogati Jurisperiti celebriores , atque inter hos Card. à Puteo : an Societas adhuc ob-ligaretur ad Chorum ? Responderunt unanimes : cum Chorum non imperâ-rit Pontifex per rite editam Constitu-tionem , dispositionem ipsius solùm ha-buisse vim simplicis mandati , non au-tem perpetuæ legis , ac proinde jam non obligare : sed posse Societatem vi vere secundùm Constitutiones legiti-mas præcedentium Pontificum , & frui immunitate sua . Sic conticuit sinè mora Chorus , facta per Præpositum Generalem Lainium solemni protesta-tione , quod Societas ad illum jam non teneretur . *Sacchin. hist. Soc. p. 2. l. 3. n. 29.*

2. In Germania anno 1564. Otho Cardinalis Augustanus Dilinganam Academiam à se erectam Societati tra-didit jure perpetuo regendam. Ad

con-

confertam nobilitatem , & Academicam  
juventutem gravem præmisit oratio-  
nem , exponendo facti sui rationes :  
mox Secretarius tabulas rite confectas  
recitat , quibus cum laude instituti So-  
cietatis translatum in eam Academiæ jus  
explicabatur . Tum Cardinalis assur-  
gens solemnem S. Spiritûs hymnum ex-  
orditur : deinde Orator è Societate sug-  
gestum concendit , & opportuna tem-  
pori dixit ; denique primus è Societate  
Rector Academiæ creatus est , & insig-  
nibus ornatus Henricus Dionysius . *I-*  
*dem ibid. lib. 8. n. 107.*

*Eodem die obierunt.*

3. Romæ anno 1556. P. Martinus  
Olavius, Hispanus. Parisiis , & in Au-  
la Caroli V. eximius , Philosophicâ , &  
Theologicâ laureâ clarus ad Societatem ,  
à qua abhorrebat , impulsus est diserto  
Christi mandato. Cùm enim inter sa-  
cificandum consilium , & opem quoad  
vitæ statum eligendum exposceret ab  
eo , quem manibus tenebat : *Hic ego te  
volo , ajebat ille , in hac tibi Societate , &*

vivendum, & moriendum est. Durum est  
tibi contra stimulum calcitrare. Ad quæ  
humiliter Martinus: *O Domine! servus*  
*tuus sum ego, servus tuus, & filius ancil-*  
*lae tuæ Societatis JESU.* In Romano Col-  
legio primus docendæ Theologiæ à S.  
Ignatio admotus, Collegioque præfe-  
ctus est. Socios omnes ut Angelos ve-  
nerabatur, auditus identidem ingemi-  
nare: *O piam Sociorum familiam! Me mi-*  
*serum, qui eam nimis ignorans fugi, sæpe*  
*etiam de eadem detraxi!* Moribundus S.  
P. Ignatius petiit à Pontifice benedi-  
ctionem postulari pro suo, & alterius  
cujusdam è Societate agone. Is aliis  
fuit Olavius, qui decimo septimo die  
secutus est S. Patrem defunctum.

4. Cæsaraugustæ in Hispania, anno  
1594. P. Antonius Ibannez, Hispanus.  
Cùm Provincias Præpositus Provincia-  
lis, aut Visitator gubernaret: multâ pru-  
dentiâ tam spiritum, quam literas juvit.  
Ad Sacrosancta Instituti jura servanda  
totis viribus incubuit, nullo humano  
respectu absterritus. Mira è cœlo lu-  
ce perfundebatur ad spiritus discernen-  
dos,

dos, & animas ad perfectionis excelsa  
ducendas. Primum Virginitatis flo-  
rem ad mortem usque servavit incor-  
ruptum.

5. Novellariæ in Italia, anno 1583.  
Lælius Nichesolius, Italus, Novitus. Vo-  
lebat non aliter tractari, quām putridum  
cadaver. Voluntate propria dicebat  
nec onus esse gravius, nec feram imma-  
niorem: ideoque totus in Superiorum  
voluntate conquiescebat. Post deci-  
mum tyrocinii mensem animam agen-  
ti adstitere per spatium duarum hora-  
rum, & amplius Angeli, DEI-para V.  
& Christus solis instar radians, tam ipsi  
Lælio, quām alteri ex adstantibus spe-  
ctabiles: ceteri quoque lectulo circum-  
fusi insolita quadam dulcedine se su-  
perfundi sentiebant.

### XVIII. AUGUSTI.

1. Anno 1581. P. Antonius Possevi-  
nus, cum charactere Legati Pon-  
tificii expeditus à Gregorio XIII. ad  
Stephanum Poloniæ Regem, & Joan-  
nem Basilii M. Ducem Moschoviæ, pro-

re Catholica promovenda; hoc die Sta-  
ritiam, ubi tunc Dux degebat, attigit  
cum 4. Sociis. Deducti ad hospitium  
pro regionum usu magnificentum, con-  
vivio publico Ducis nomine excepti  
sunt. Assidebat Possevino prænobilis  
adolescens missus à Principe tanquam  
ejusdem Vicarius; is, ubi ferculum  
quodpiam inferebatur, assurgens, &  
caput aperiens, ceteris convivis idem  
facientibus, dicebat: Antoni, hoc tibi  
pisce ( vel alio, quod erat, ferculo)gra-  
tiam exhibit suam Joannes Basilius, fém-  
pérque totum titulorum ejus acervum  
percurrebat. Postquam autem ultimum  
illatum est ferculum, hilariter pronun-  
ciavit: *Chleb dasol*, id est, *Panis*, & *sal*:  
quam habent Moschi superstitionem  
mensarum clausulam, rati, valere ad pe-  
stem omnem avertendam, eò quod o-  
lim Monachus quidam Sergius, quem  
pro Sancto venerantur, prandente apud  
ipsum Demetrio M. Duce, eorum pro-  
latione verborum dæmonem ab cella  
fugârit. Biduo post majore, quam vel-  
lent, pompâ ad conspectum Magni-

Do-

Domini oculorum (itâ gens loquitur)  
admissi sunt. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1.*  
*n. 122.*

2. In Italia anno 1566. in Monte  
Politiano, patria Card. Bellarmini, me-  
morabilis contigit obitus civis Politia-  
ni, qui ante annos aliquot confictis ca-  
lumniis, & in ementita Societatis veste  
patratis flagitiis, itâ deformaverat So-  
cios ibi degentes: ut maluerint ultro  
excedere, quâm civibus suspecti, fru-  
ctuosè ibi vivere. Triennio post abi-  
tum Patrum, calumniator ille post gra-  
ves, quibus afflictus, ac ad incitas ferè  
redactus est, calamitates, ad mortis fau-  
ces pervenit: sed per complures dies  
cum illa miserrimè luctatus, absorberi  
non potuit. Rediit ergo DEI benigni-  
tate ad saniorem mentem, intelligens  
que supplicium hoc sibi immissum pro-  
pter falsissimas Patrum criminationes,  
complures præcipuorum civium advo-  
cari curavit, & coram iis disertè dete-  
cta malitiâ suâ, atque illorum innocen-  
tiâ, exspiravit. Indoluerunt boni cives  
facilitati suæ ad credendum, multisque  
conca-

conatibus repetierunt Patres , sed non  
citò impetrârunt. *Sacchin.* p. 2. *hist. Soc.*  
*lib. 7. n. 25.*

*Eodem die obierunt.*

3. Hispali, annô 1575. P. Consalvus  
Esquel , Hispanus. Societatem unà  
cum famulo ingressus est , sed quem  
mox sibi præpositum vidit. In tyroci-  
nio enim famulus jussus est Coquim a-  
gere , Consalvo ipsius , & culinæ obse-  
quiis applicato. Cùm inter labores  
animum non posset satis colligere , &  
ad divina elevare propter obstrepentes  
vicinas gallinas : à P. Rectore jussus est  
illas adire , & aperto capite rogare , ut  
DEI amore conticescerent. Fecit id  
obedienter , ac humiliter Consalvus : &  
gallinæ in momento conticuere , stupen-  
te Consalvo , & præsentibus Sociis.

4. Aureliaci in Gallia, annô 1628. P.  
Joannes Franciscus Martincurtius, Gal-  
lus. Sæviente in Gallia peste integrô  
trienniô , cùm Socii impigri accurrisserent  
ad miseros juvandos , omnino quadra-  
ginta ex illis eadem lue extinti sunt ,

quo-

quorum primus fuit P. Joannes , opimum certè mortis spolium, quia magnæ animæ fuit. Viginti quinque carbonibus pestiferis ictus , mortem oppetiit in obsequio , quod ardentissimis ad P. Provincialem datis literis expetierat velut in expiationem peccatorum suorum, sed magis in pabulum incendii , quô eum charitas torrebat.

5. Calissii in Polonia , anno 1639. Ladislaus Czapinski, Polonus. Eximia religione ferebatur in Ven. Eucharistiam , crudo autem rigore in corpus suum. Inter alias pias industrias utebatur istâ ad facile eliciendos pios in DEUM affectus: Alphabeti literas pronunciabat , & singulis Psalmum ab eadem litera incipientem , vel versum aliquem Psalmi subjungebat. Quæ devotio illi magno adjumento fuit in morbo supremo. Auditus est persæpe ingeminare: *Osi me , omnesque corporis , & animi mei vires distillare possem vel in unam guttulam gustus , & beneplaciti Majestatis Divinae!*

### XIX. AUGUSTI.

I. A Nnō 1561. Pius IV. confirmavit

vit, & extendit facultatem à Julio III. concessam, conferendi in Collegiis Societatis Scholaribus suis idoneis gradus in Artibus, & Theologia: utque etiam in illis Collegiis, quæ sunt membra Universitatum, conferri possent; insuper iterum exemit Societatis Collegia, & Domos à qualibet decimarum, & impositionum solutione. *Bullar. Soc. Const. Exponi nobis nuper &c.*

2. Annō 1602. habita est Congregatio, & Disputatio VII. de Auxil. Grat. coram Clemente VIII. Examinata hæc Propositio Molinæ ex disp. 14. memb.  
 3. *Homo solis viribus naturalibus, & concursu generali DEI, elicere potest actum absolutum, merè naturalem, dilectionis DEI super omnia, qui ad justificationem nequam sufficiat, & propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia, praesertim quando occasiones omnes, & difficultates absunt, quod ad attritionem, & contritionem quoad substantiam actus sit sufficiens.*  
 Respondit Gregorius de Valentia: Molinam secutum esse S. Thomam, & alios plerosque Doctores Scholasticos antè

citatos ; deinde non docuisse, naturalem illam dilectionem esse efficacem , quæ scilicet faciat re ipsa observare omnia mandata etiam naturalia , sed ineffac- cem , & vi cuius , data occasione pec- candi , non sequatur observantia man- datorum , nisi voluntas aliunde juve- tur : ut patet ex ipso citatæ disputatio- nis Molinæ contextu . *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. c. 10.*

### *Eodem die obierunt.*

3. Macai, in Insula Sinis vicina , an- nō 1583. P. Melchior Carnerus, Epi- scopus Nicœnus. P. Barreto Æthiopiæ Patriarchæ datus comes, cùm in Æthio- piam penetrare non posset , in Insula Macaensi , & locis vicinis Apostolatum suum exercuit. Contra Nestorianum Episcopum Armenum egregiè rem- gessit , licet magno capitis sui periculo; sagittâ appetitus , quæ pileo perforato capiti non nocuit. Episcopus conse- cratus , non solum de Societatis consi- liis audiendis votum vovit ; verùm e- tiam de redeundo ad Societatis plenam obe-

obedientiam , ubi , & quando id per summum Pontificem liceret.

4. Bivonæ in Italia , anno 1614. P. Barnabas la Vecchia , Italus. Suavissimus in alios , rigidissimus in se ipsum , cibus illi nullo sale conditus , nulli arborum fructus per annos multos gustati , flagella multo sanguine cruentata , thorax cilicinus semper gestatus , brevis humi somnus . Non unam de impudicis fœminis retulit victoriam. A morte , cuius diem prædixerat , Procuratori sollicito de quodam chirographo apparuuit , locumque , ubi depositum erat , monstravit. Amicum verò religiosum in Spiritu languentem , ad fervorem insignem excitavit illis verbis : *Utinam sapient , & intelligerent , ac novissima providerent !*

5. Hispali in Hispania , anno 1584. Rodericus de Flores , Coadjutor , Hispanus. Orationem in multam , subinde in totam noctem extendebat , visus non semel in mentis excessu , & à terra sublimis , qui situs , & excessus aliquando illi contigit feriâ quintâ hebdomadæ majoris

ris ab occasu solis ad ortum alterius diei, ita: ut nullus illum movere posset, vel brachia ante pectus in modum crucis composita flectere. De divinis digna Theologo loquebatur. Licet autem incredibili orandi studio teneretur: nunquam tamen orationis gratia aliquid decerpebat de tempore laborandi, aut alia munia exercendi.

## XX. AUGUSTI.

1. **E**manavit anno 1602. Decretum Clementis VIII. quo sub diro anathemate prohibuit sententiam, quod absenti Sacerdoti fieri possit per literas confessi peccatorum, & ab eodem absente dari absolutio. Multum ex hac Pontificia censura voluptatis cepit P. Franciscus Suarez, Theologicis lectionibus Conimbricæ in Lusitania, tunc intentus, quod oraculo Vicarii Christi id probaretur, quod ipse Compluti, & Salmanticæ docuerat; scilicet irritum esse inter absentes Pœnitentiæ Sacramentum. Cùm igitur ipsius Tomus quartus (qui est de Pœnitentiæ Virtute,

tute , & Sacramento ) in tertiam partem  
 D. Thomæ planè tunc sudaret sub pre-  
 lo , voluit doctrinam suam eo Decreto  
 roborare . Addidit autem disp . 21.  
 sect . 4. Non ideo tamen videri sibi à  
 Pontifice interdictum , quod minus præ-  
 sens Sacerdos moriturum quempiam ,  
 sensibus jam destitutum , sed qui ido-  
 neis signis antea Confessarium petiis-  
 set , vel alia Christianæ pœnitentiæ ar-  
 gumenta dedisset , absolvere possit . De-  
 lata ea interpretatione ad Clementem ,  
 indignatus non leviter est , se vivo De-  
 creti sui interpretem inventum esse ,  
 jussitque è Tomo Suarii eam interpre-  
 tationem expungi . Non potuit non  
 graviter tangi Author eâ censurâ , fecit  
 tamen obedienter Pontificis volunta-  
 tem : quamvis non nesciret interpreta-  
 tionem suam conformem esse , & S. Leo-  
 nis Papæ doctrinæ in ep . 95. ad Theo-  
 dorum , & Conciliis , Arausiciano I. Car-  
 thaginiensi III. & IV. & communi sen-  
 sui Theologorum . Firmavit Suarii  
 sententiam Paulus V. Successor Cle-  
 mentis , quando in Rituali suo edito vo-  
 luit

huit sic procedi cum talibus moribundis.  
*Maffejus in vita Suar.* pag. 96. & antecedentibus.

2. In Litvania Illustrissimus Episcopus Vilnensis Valerianus , anno 1568. literas officiosissimas , & pastorali cura plenas dedit ad Cardinalem Hosium Episcopum Varmensem , petendo : ut , quod sibi dederat consilium de advocandis , & collocandis in Diœcesi sua , Patribus S. J. ad reprimendas , & extirpandas hærefes , exequi non gravaretur , missis è Diœcesi sua uno , & altero de Patribus , cum quibus agi possit de fundando Collegio . Similes dedit ad Patres Collegii Brunsbergensis curru etiam adjuncto , qui sine mora advehet unum , & alterum . Sed quamvis hic , & nunc ardenteribus optimi Præfusilis desideriis satisfieri non potuerit , satisfactum tamen paulò post . *Sacchin.* *bifl. Soc. p. 3. lib. 4. n. 180.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Hispania , anno 1600. P. Thomas de Soto , Hispanus , DEI-paræ V. & Chri-

Christi Salvatoris conspectu frequenter recreatus. Vedit hunc sub specie jam gratosissimi Parvuli, jam Viri spinis coronati, aut Crucifixi. Aliquando cum ardentiūs peteret perfectiorem DEI notitiam, ostensus est illi Christus Crucifixus.

4. Oeniponti in Tiroli, anno 1650.  
 P. Wolfgangus Graveneus, Germanus. Cum Provinciam regeret, orando potissimum sibi comparabat vigorem, & robur ad agendum non minus fortiter, quam suaviter. Ad somnum se componens, quodam extremae Unctionis imitamento singulos sensus suos expiabat, se signans, & dicens ad singulos: Per istam S. Crucem, & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Dominus, quidquid memoria, intellectu, voluntate, visu, auditu, &c. deliqui. Supremo vitae biennio Jobo erat similis tum ob varietatem, & gravitatem morborum, tum ob invictam, semperque tranquillam patientiam.

5. Leodii in Germania, anno 1617.  
 Guilielmus Brunus, Coadjutor, Anglus.  
 Per

Per annos 14. & amplius duas quotidianas horas dabat ollis in culina purgandis, & si quid his domi abjectius erat: quamvis illustrissima domo natus esset. Terram in sporta humeris portare, hortulum colere, simulque Thomam Kempensem lectitare, vel orationem laboribus miscere perpetuum illi fuit. Desudanti cum incidisset cogitatio de premio, seu mercede cœlesti, reposuit: *De cælo fiat, quod DEO videbitur: ego verò quaero DEO placere, ac facere, quod ejus voluntati placeat.* Obiit cum B. V. Officio in manu, Corona in collo, JESU in ore.

## XXI. AUGUSTI.

I. **A** Nno 1573. luculentum subsidium rei Christianæ expeditum fuit in Japoniam. Cum Christianis numerosissimis per tota regna sparsis vix octo adessent Sacerdotes, qui & illos excolerent, & ethnicis convertendis darent operam: Consalvus Alvarez Visitator cum 4. Sociis Macao solvit in Japoniam: sed ut sunt iudicia DEI abyssi multa, in conspectu portus luctuosissimo

sissimô naufragiô interierunt omnes cum septingentis aliis, qui eadem navi vehebantur. Calamitatem auxit ingens mercium jactura, quæ ad sexcentorum millium aureorum dicuntur ascendiisse. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 1. n. 145.*

2. Vix majore usus felicitate P. Carolus Spinola in sua Japonica navigatione. In primis enim, cùm tendendum esset in Indiam Orientalem, tempestate abruptus est in Brasiliam, è Brasilia repetito cursu delatus est in insulam quandam Boriquena, & Portonico dictam, longè extra viam Indicam sitam; indè navigatione repetita, incidit in classem Anglicanam, à qua hoc die captus ductus est in Angliam, ubi præsidio illi fuit, quod nec Hispanus, nec Lusitanus, sed Italus esset. Dimis-  
sus ergo rediit Ulyssiponem in Lusitaniam, iterum soluturus in Japoniam. *Ambros. Spinol. in vita cap. 5. & seqq.*

3. In Moschovia anno 1581. P. Antonius Possevinus, Legatus Pontificius, in conspectum magni Ducis  
ad.

admissus est. Assurrexit confestim Senator primarius , & more genti usitato : Maxime Princeps, inquit, Antonius Possevinus , & comites ejus , humum tibi fronte feriunt. Tum continuò Dux, ut valeat Gregorius Papa, interrogat ; & Pater : Ità DEUS Serenitatem tuam servet incolumem. Dein jussus mandata exequi ; ut magnificentiorem & ipse Pontificis appellationem faceret. Sanctissimus, inquit, Dominus noster, Papa Gregorius XIII. Universalis Ecclesiae Pastor, Christi in terris Vicarius, S. Petri Successor, multarum regionum, terrarumque Dominus, Servus Servorum DEI amantissime Serenitatem tuam salutat, eique benedictionem precatur. Surrexit Dux ad Pontificis nomen, stetitque tam diu, dum gratias egit. Tum assidens, tu verò Antoni , inquit, recténe equitasti? Rectè , inquit ille , DEI gratiâ ; quodque in Serenitatis tuæ obsequium cedat. Indè Ducis , ac ejus filii dexteram osculatus, tradere jubetur Secretario literas , & munera allata. Quo loco modestia gentis se prodit.

ter cetera dona ferebatur picta DEI-  
paræ effigies , raræ artis opus ; ea ta-  
men tradita non est , quod rescisset  
Possevinus , gratam non fore ; quod in  
sinu Virginis resideret parvulus JE-  
SUS nudus , quem Baptista puer ado-  
rabat , similiter nudus . Faciunt hæc I-  
tali in artis ostentationem , sed pru-  
dentiùs dedignantur Moschi . Indè  
progressi sunt ad convivium , sermo-  
nes familiariter misti de superiorum  
Ducum Moschoviæ legationibus ad  
Pontifices &c. Sed denique Legatio-  
nis eventus non respondit spei , & pro-  
missis . *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 125.*

*Eodem die obierunt.*

4. Romæ annô 1660. P. Joannes de  
Lugo , S. R. E. Cardinalis , Hispanus , u-  
nus è Principibus Theologiæ , docuit il-  
lam primùm Vallisoleti annis 5. deinde  
Romæ annis 20. tanto ingenii splendo-  
re , ac laude : ut scripta ejus amanuenses  
plures , ac postea typographos locuple-  
tarint . Nec minor religiosa virtute ,  
quam doctrina fuit . Utriusque excel-  
len-

lentiâ motus Urbanus VIII. Pont. Max. in purpuratum Ecclesiæ Senatum eum adlegit, tam solidè reluctantem ; ut humiliis ejus constantia Pontifici jam subi-rato, obstinatio videretur. Unde adje-cit : parendum esse præcepto. *Id enim omnino per præceptum formale, & formaliſſimum obedientiæ mandamus.* Jam Cardinalis cavebat intentè , nè quid admit-teret, quod Religiosum Cardinalem non optimè deceret. Societas illi perpetuò , & sincerissima cum reverentia amata , voluitq; semper sibi adesse Fratrem Co-adjutorem, non ut famulum, sed ut Soci-um, & vitæ testem. Nunquam in ullam gubernationis partem quoad Societatē se intromisit Cardinalis, neque authori-tate sua usus est ad quidquam ulli à Su-perioribus impetrandum. Memoria illius Societati est in benedictione.

5. Senis in Italia, anno 1571. P. Hieronymus Rubiola Hispanus. In rei familiaris angustiis , cùm Senense Colle-gium gubernaret, rogatus : quid ageret ad illud juvandum ? Respondit : se Li-tanias cum suis multiplicare , & DEI o-

pem experiri. Cùm nec panis domi superesset ; adiit hominem Societati non satis æquum , & interposito Divini amoris nomine, petiit ab eo sibi dari in tantæ inopiae levamentum aureos quinquaginta. Miranti illi , & interroganti : an nesciret, quām alieno à Societate es- set animo ? reposuit humiliter : se qui- dem id probè scire ; sperare tamen i- psum DEI causâ, vel illis benefacturum, quos amicorum loco non habuisset ha- etenus. Quæ tam ingenua fiducia ità homini arrisit : ut & petitam summam liberaliter promeret, ac largiretur ; & deinceps P. Hieronymum fidenter pe- tere juberet, quod necessitas postularet.

6. Mussiponti, annô 1616. P. Guili- elmus Murdochus, Scotus. Ministrum cùm ageret Collegii Parisiensis , à petu- lantioribus Academicis in secreta domo circumventus, jussus est illico terga nu- dare ad flagra. Libenter se id facturum Christi causâ dicens P. Guilielmus, fe- cit imperata. Et ecce cilicinum in eo thoracem sub inducio conspicati lorarii, furore in reverentiam verso, ad pedes illius

illius accidere, veniam petentes. Multa  
in Scotia egit, tulitque pro re Catholica.

## XXII. AUGUSTI.

I. CUM classis Lusitana anno 1555. à Mozambico, Africæ portu, sol-  
visset in Indiam, navis quædam, quæ  
tres è nostris vehebat, & ceterorum ca-  
pita ad 240. per tenebras noctis hodi-  
ernæ incidit in syrtes ita, ut malè qua-  
sata cursum repetere non posset. Ægre  
eluctata appulsa est ad sterilem quan-  
dam, & desertam insulam. Ibi Navar-  
chus relicta navi, cum præcipuis 30. vi-  
ris conscéso lembo, propè furtim evasit.  
Goam versùs navigaturus, atque indè  
reversurus cum navigiis ad deportan-  
dos Socios relictos. Ex his quidam ma-  
gis industrii, desperantes de reditu Na-  
varchi, ex residuis navigii tabulis ratem  
sibi confecerunt, quam *Misericordiam*  
*DEI* appellârunt, eaque consensâ,  
quadraginta quinque capita ventis, ac  
mari, sed potissimum *Misericordiæ*  
*DEI* se se commiserunt. Invitârunt in  
societatem itineris & Patres nostros :

sed illi extrema quæque pati maluerunt, ut relicta turbæ solatio, & præsidio essent, quām contra charitatis, & vocationis suæ leges exitio se eripere in tanto proximorum discrimine. Non nus jam effluxerat mensis, annona defecerat, non pauci inediâ extincti erant; nec ulla subsidia apparebant vel à Goam dilapsis, vel ab aliis, qui rate misericordiæ Divinæ profecti sunt. Ergo iterum nonnulli ex fragmentis tabularum, quæ fluctus ad insulam compulerant, ratem novam moliuntur, non quidem spe Indiam attingendi, sed studio explorandi, an non inciderent in feraciorem aliquam insulam. In hanc ratem viri triginta, & unus se receperunt, urgentes: ut etiam Patres nostri solatio, & subsidio ipsis futuri, sese adjungerent. Præstito assensu ab iis, qui remanebant, abiēre: sed cùm alterū jam mensem per Oceanum errassent, & commeatus, qui exiguus erat, defecisset, nihil aliud quām mortem in horas expectabant: cùm ecce pulcherri-  
     ma apparet insula palmis vestita. Ad  
     quam

quam contendentes , propter altitudinem litorum excensionem facere ne-  
quiverunt ; proinde ratem onere leva-  
turi in vicinam sterilem insulam par-  
tem hominum cum Patribus nostris  
exposuerunt : reliqui redeuntes ad pri-  
orem insulam , ita palmarum fructibus  
fese repleverunt , prout fieri solet post  
diuturnam famen , ut , cum rediissent  
ad alteram insulam , omnésque in ea  
relictos vidissent unà cum Patribus ex-  
tinctos fame , etiam ipsi omnes , præter  
duos , oppletione stomachi sunt extin-  
cti . Qui primi naufragorum conscen-  
derant lembum , feliciter Goam per-  
venerunt , sed assumptis aliis navigiis  
cum commeatu ad deportandam reli-  
ctam turbam jam fame sublatam inve-  
nerunt . Alii , qui in rate Misericor-  
diaz Divinæ navigârunt , Cocinum tan-  
dem appulsi sunt , sed cadaveribus ,  
quàm hominibus similiores . *Orland.*  
*p. 1. bift. Soc. lib. 15. n. 124.*

*Eodem die obierunt.*

2. In Amboino Indiæ Orientalis re-

gione, anno 1549. P. Nunnius Riberius, Lusitanus. Fidei prædicationem intrepidè multo cum fructu promovebat, etiam inter extrema pericula jam incendi, jam naufragii. Denique à Saracenis propinatō venenō contabuit, etiam extremo vitæ die concionatus ad populum, & cùm ire non posset, in linteo delatus ad infirmos.

3. Tornaci in Belgio, anno 1556. P. Bernardus Olivarius, Belga. Vocacionis suæ in Societatem unicè amans. Cùm enim Ministrum ageret Collegii Romani, & S. P. Ignatius ægro cuidam certum pharmacum dari juississet : Bernardus id Valetudinarii ministro commisit ; hic per inconsiderantiam neglexit. At Ignatius more suo noctu ægrum invisens, & medicinam illi non porrectam intelligens : Bernardum tanquam inobedientiæ reum, ipsa nocte domo exesse juissit. Exivit sed intrà extimas fores persttit perseveranter, donec à sancto Patre constantiam laudante iterum admitteretur ; postea tam insigni exemplo vixit, ut brevi Rector Collegii Romani fuerit designatus.

4. Bracciani in Italia , anno 1626.  
 Alexander Ursinus, S. R. E. Cardinalis  
 & Dux Bracciani. Societatem unicè ada-  
 mavit, & ardenter expetiit; sed cùm il-  
 lam relictā purpura , & ducatu ingredi  
 prohiberetur : invenit temperamenū ,  
 quo ardentibus votis suis satisfaceret.  
 Dedit ad Mutium Vitellescum Præpo-  
 situm tunc Generalem literas, quibus se  
 penitus, quoad dignitas Cardinalitii Or-  
 dinis patiebatur, Societati dicavit, rece-  
 ptusque sub eadem moderatione, vota  
 Societati consueta emisit , & vixit dein  
 ceps religiosissimè ut unus è nobis ad-  
 scriptus Provinciae Romanæ. Semper  
 honesti, & probitatis studiosissimus, ab  
 eo tempore longè ampliores sanctitatis  
 radios spargere cœpit, proximis juvan-  
 dis intentissimus , atque in condonandis  
 injuriis planè admirabilis. Cor suum  
 sepeliri voluit in Templo Domûs Pro-  
 fessorum Romæ prope sepulchrum Car-  
 dinalis Bellarmini , quem sibi tanquam  
 absolutam sanctitatis effigiem imitan-  
 dum proposuerat. Ex Tannero.

5. Tricerapoli apud Madurenses, in

India Orientali, anno 1656. P. Emmanuel Martius, Lusitanus. Nè cederet quoad vi-  
tæ auferitatem sacrificulis Madurensiū,  
per annos 31. omni carne, & pisce absti-  
nuit; prandium illi dabat milium to-  
stum, coenam placentula ex milio; prout  
de die vestitus incedebat, ita noctu som-  
num capiebat; quater pro fide prædi-  
cata in carceres conjectus, bis atrociter  
vapulavit, quater inter publica ludi-  
bria civitatibus ejectus, ipsam quoque  
mortem post labores fructuosissimos in-  
ter ærumnas oppetiit, quamvis inter So-  
cios. In tota enim Residentia loci illi-  
us tantæ fuerunt sanctæ Paupertatis di-  
vitiæ: ut cervical inveniri non potue-  
rit, quod moribundo subjiceretur. *Soc-  
tus in Bibl. Soc.*

### XXIII. AUGUSTI.

I. IN Congregatione I. Generali an-  
no 1558. post felicem Lainii ele-  
ctionem in Præpositum Generalem,  
jussu Pontificis Pauli IV. deliberari  
cœptum: an conveniat Societatem  
suscipere Chorum, & Generalem ha-  
bere non perpetuum, sed triennalem

tan,

tantum? Mirati Patres, quod Pontifex rem probatam, & confirmatam à Prædecessoribus suis Paulo, & Julio iterum in dubium, & deliberationem vocet, præsertim cum ipse ante electionem intimarit, se propendere potius in Generalem perpetuum: fecerunt tamen obedienter imperata. Re diligenter DEO commendata, post institutam hodie, & postridie deliberationem, nemine discrepante visum est omnibus, nihil esse innovandum. Ut mentem Congregationis Pontifici declararent, missi Lainius ipse, & Salmeron, qui illum graviter offensum repererunt, & acri oratione excepti sunt, præsertim quod Chorum nolent: sed mox prudente Lainii responsione placatus est, nondum tamen à sententia amotus. *Sacchin. bift. Soc. p. 2. lib. 2. n. 55. Sc.*

*Eodem die obierunt.*

2. In Hollandia, anno 1651. P. Jacobus Sluyskens, Belga, Missionarius intrepidus, & indefessus. Fidei ipsius

vigorem , & virtutē mirati sunt ipsi hæretici , quando fulmine incensa turris Amorfortiensis ipsi civitati exitialis fuisset , nisi P. Jacobus intervenisset : qui modicā aquā benedictā incendio inspersā ità illud oppressit : ut , nè fumo post se relicto , fuerit absorptum .

3. Mussiponti in Gallia , anno 1622 .  
 Joannes Domyne , Gallus . Mores omnes , ac linguā potissimum ad amissim Legum nostrarum composuerat , cùm immatura morte raptus est , non sinè communi opinione virtutis ordinariam supergressæ : Auxit hanc quidem è Scholasticis nostris Theologis propediem à Societate separandus . Arcano enim instinctu impulsus , ad mortui Joannis cadaver accessit , illudque complexus , profundo animi sensu in hæc erupit verba : *Bone adolescens , trahē me post te.* Eodem enim die fatali morbo corruptus , paucis post diebus piè admodum , ac religiosè in Societate decessit .

4. Vilnæ in Litvania , an. 1631 . P. Constantinus Sywid , Litvanus . Vitam egit quam innocentem , perpetua virginitate flori-

floridam, & studio perfectionis religiosæ  
eximiam, tam laboriosam. Inter labo-  
res Scholasticos, explanandæ sacræ Scri-  
pturæ addictos , diebus festis manè ad  
populum in templo Collegii dicebat Lit-  
vanicè, mox in templo Cathedrali Po-  
nicè coram Canonicorum Capitulo; de-  
nique post meridiem in Ecclesia Domus  
Professæ Lectionem ad confertum audi-  
torem de S. Scriptura habebat. Moni-  
tus, nè nimiō zelō , & labore valetudi-  
nem iret perditum , egregiè respondit:  
*Quorsum mihi valetudo , nisi ut laborem ?* So-  
tuell. in Bibl. Soc.

## XXIV. AUGUSTI.

I. PATER Petrus Faber anno 1544. per-  
venit Ulyssiponem in Lusitania ;  
cumque ibi Regem non reperisset , E-  
boram, ubi aula erat, se contulit, paucis  
que diebus ita se Regi probavit, ut a-  
pud se hominem detinere decreverit.  
Excurrit Pater subinde Conimbricam :  
ubi Joannem Nunnium , virum ea pru-  
dentiâ, & probitate præditum , ut pas-  
sim *Sanctus Abbas* diceretur , in Societa-  
tem adlegit, quamvis ante alienum ab

ea. Conatus fuerat P. Melchior Nunnez, Frater germanus, illi Societatem persuadere, sed effecit nihil. Faber primo congressu hominem expugnabit, sed jam antè per visionem subiectum, & monitum, ut Conimbricam se conferret, à Fabro, qui in visione illi monstrabatur, edocendus, quid sequendum foret. In Societate eam vietam egit, ut post non multos annos Æthiopiæ Patriarcha sit creatus. *Orlandi. hist. Soc. p. 1. lib. 4. n. 138.*

2. In Brasilia suscepta est anno 1554. expeditio ad Carigios à tribus Sociis Petro Correa, Joanne Sosa, & Fabiano. Sunt Carigii interioris Americæ populi, docile, ac mite genus hominum, qui cùm audissent de Christianæ Religio-  
nis legibus, illius desiderio ità exarse-  
runt, ut ad P. Nobregam Brasiliæ Pro-  
vincialem missis nunciis, petierint eru-  
diri, & baptizari. Sed cùm piis ipso-  
rum votis hic & nunc satisfieri non pos-  
set, dilationis impatientes, non dubitâ-  
runt ducenti, & amplius eorum peri-  
culoſo itineri, à sexcentis passuum mil-  
ibus

libus se committere, ut sacro fonte expiari possent. Verum à Tupinaquinis barbaris intercepti, trucidatique compendio iter ad cœlum absolverunt. Correa nihilominus cum Sosa, relictō Fabianō, ad curam infirmi cujusdam Hispani prosecuti sunt iter suum: verum & illi eodem fato sunt involuti, mactati à Carigiis concitatis à quodam Europæo, quod ei pellicem abstraxisset Correa. Facinoris immanitatem exaggerat, quod paulò ante eundem Europæum jam jam mactandum, & devorandum à Brasilis, liberarit Correa à faucibus ipsorum. Sed plus potuit in homine amor pellicis, quam obligatio gratitudinis. *Orland. hist. Soc. p. 1. l. 14. n. 121.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Missione Peruana, anno 1609. P. Joannes Perez, Hispanus. Ea sedulitate, & charitate in nosocomio DEO, pauperibusque serviebat; ut profusis è latere simulacri sui radiis Christus illum largè illustrarit.

4. In Brasilia apud Carigios, anno

1554. Petrus Correa, Coadjutor, Lusitanus. Ante initam Societatem ductor militum, feros, & antropophagos Brasilios singulari industria venabatur, capiebat, & in servitutem vendebat. Societatem ingressus, idem præsttit, sed meliore, & altiore fine, ut scilicet illos Christo manciparet. Homines epulis barbaris destinatos ipsis annuentibus clām dextre baptizabat , aquâ è strophiolo expressâ. Cum Joanne Sosa ad Cari-gios missus, ibi rem Christianam multo labore, ac ingenio promovit insigniter, donec post abstractam cuidam è conversis pellicem , à barbaris ab ipso concitatis sagittarum imbre obrutus uterque interiit.

5. Ulyssipone in Lusitania año 1614. Bartholomæus Alvarus, Coadjutor, Lusitanus. Diligentissimum egit Sacristam , tam, in conquirendo quām decenter asservando apparatu sacro. Ægris præterea mira charitate servivit totis 40. annis. Cūm externus quispiam naußeante stomacho sacrum Viaticum ejecisset, Frater Bartholomæus tam obse-

sequentem habuit stomachum suum : ut  
divinum illud epulum cum circumfusis  
fordibus intrepidus hauserit. In Japo-  
niam denique destinatum cùm Japoniæ  
Episcopus Sebastianus Morales sacris  
eum Ordinibus initiare contenderet :  
perstitit ille immobilis in gradu suo, se-  
curior in humili.

## XXV. AUGUSTI.

**L**IN prima Congregatione Generali  
inter cetera propositum fuit de  
Forma Votorum simplicium , quæ post  
Professionem solemnem juxta Consti-  
tutiones emittenda sunt : an executio-  
ni mandanda esset , & Vota hujus-  
modi emittenda ? Placuit Congrega-  
tioni formula , & executio indicta est  
in festum S. Bartholomæi , quod in Ur-  
be celebratur 25. Augusti , qua die à  
prandio omnes Professi vota illa emi-  
serunt coram Præposito Generali in i-  
pso loco Congregationis. *Decret.. 202.*  
*eiusdem Congr.*

2. Annō 1617. Paulus V. Pontifex  
Max. cùm informante Octavio Epi-  
sco-

scopo Forosempniensi intellectusset : quantum P. Franciscus Suarez laboravit in Lusitaniana pro Sede Apostolica, in gravi dissidio Statūs Politici ab Ecclesiastico , scriptō etiam eruditō librō de immunitate Ecclesiastica ; hanc ad eum Pontifex non vulgaris existimationis , & benevolentiae dedit epistolam : Significavit nobis Venerabilis Frater noster Octavius , Episcopus Forosempniensis , & in istis regnis Collector : quæ tu de Controversia inter eum , & Magistratus seculares ( pacis adversario instigante ) nuper exorta responderis , & scripta etiam misit , quæ ut tuæ multæ doctrinæ , & pietati consentanea sunt , ita fuerunt nobis maximè grata. Quam obrem operam tuam , ut debemus , laudamus , tēque in Domino hortamur , ut DEI honori , atque Ecclesiæ suæ ( in qua tantum Divinâ gratiâ emines ) libertati inservire pergas. Novimus enim , quantum tua authoritas ad extirpandum zizania valeat. Quod etsi futurum non dubitamus : tamen

nostram Apostolicam benedictionem  
impertiendi, & paternam in te chari-  
tatem commemorandi occasionem na-  
sti, officio nostro deesse non potui-  
mus. Retribuat tibi Dominus labo-  
rum tuorum mercedem &c. *Maffejus in  
vita cap. 22.*

3. P. Joannes Baptista Alexandri-  
us militiam, & castra fuerat secutus  
adolescens. Inde conversus ad priva-  
tum de more fratribus dolorem ulciscen-  
dum armis, inimicum diu investiga-  
tum tandem assecutus, & jam sublatō  
gladiō mactaturus, supplicem accidere  
sibi ad genua cernit, vitāque inter-  
posito JESU nomine deprecari. Re-  
pressit se, ac deprecatione tanta vi-  
ctus veniam inimico lubens, & vitam  
concessit. Statim DEO facinus egre-  
gium remunerante, profanam abjice-  
re militiam, & sanctiora Societatis ar-  
ma induere decrevit. In sacrum igi-  
tur adscriptus agmen anno 1560. du-  
os, & 20. annos natus, post varia mu-  
nia recte, prudentēque gesta, & quin-  
quennium in Perusino Collegio regendo  
col-

collocatum, totum se contulit ad ad extolendos Collegii Romani studiosos adolescentes. Amplius quingenti eo magistro vitam religiosam, Societatem etiam complures, amplexi sunt : iisque omnes tam bene lecti, ut à DEO vocatos nemo non cognosceret, ac P. Alexandrium peculiari luce collustratum esse divinitus ad eam rem fama prædicaret. Si quis externus operam Sacerdotis expeteret intempesta nocte, nunquam non præstò erat : cùmque aliquando à ganeone per ludibrium evocatus, ac per totam civitatem frustrà ductus fuisset, non inultam profanus ludio procacitatem tulit, ante ipsas Collegii fores in rixa nocturna confosus, & Sacerdotem, à quo expiaretur, frustrà inclamans. *Juvencius* fol. 786.

*Eodem die obierunt.*

4. Laureti in Italia, an. 1559. P. Cornelius Vishavæus, Belga, vir magnæ obedientiæ, orationis, & mortificationis. P. Petrum Fabrum ut Lovanii retineret, febrim illi dicitur à Christo impetrâsse; pro eodem sanando jussus orare fecit,

&

& Faber convaluit. In Belgio, & Sicilia dictus est DEIparæ Paronymphus, quod mirâ verborum efficaciâ plurimas Christo Sponsas in cœnobia adduceret, Domino subinde cooperante etiam prodigiosa virtute.

5. Romæ, anno 1590. P. Jacobus Miro, Hispanus, orandi assiduitate, & mortificationis asperitate memorabilis. Ad orationem se componens abdebat se in angulum, vel abjiebat sub mensam, tanquam non inveniens, ubi compareret coram tanta DEI Majestate. Præter cilicinum thoracem perpetuum, ferreâ catenâ tam arctè lumbos adstrin-gebat: ut non sinè periculo eximi posse tuerit. Ipsi P. Euerardus Mercurianus, Præpositus Generalis, commisit curam conficiendi ex Constitutionibus S. Patris Summarium, & Regulas concinnandi.

6. Omuræ in Japonia, anno 1624. P. Michaël Carvalius, Lusitanus, fidei causâ post tredecim mensium carcerem combustus. Ad mortem ductus, pallum, cui alligandus erat, ipse portabat, & cum Sociis Psalmos hilariter decantabat.

7. Mo-

7. Moguntiæ in Germania , anno  
1595. P. Petrus Brilmacher, Germanus.  
Vir fuit magni animi, linguarum peritus,  
felicis eloquentiæ in conversione  
multorum, quām charus orthodoxis, eti-  
am Principibus, tam invisus heterodo-  
xis, quos cūm acriūs infectaretur, pro-  
pinatō ab illis venenō, quod nullis phar-  
macis domari potuit, sublatus est.

8. Peckini apud Sinas , anno 1666.  
P. Joannes Adamus Schall , Germanus  
Coloniensis. Insigni Matheseos, præ-  
sertim Astronomiæ scientiâ, magnum in  
illo imperio comparavit sibi nomen, ita:  
ut Imperator ei comendârit Calendarii  
Sinici, cuius ibi maxima æstimatio, & u-  
sus est, emendationem. Ob eam feliciter  
confectam , titulo *Magistri arcanorum  
cœlestium* diplomate edito honoravit P.  
Adamum , supremum Tribunalis Ma-  
thematici Mandarinum, seu Præfectum  
constituit ; suum denique voluit esse  
Admonitorem, si quid circa regni admi-  
nistratiōē occurreret suggerendum.  
Quo omni favore non ad privata sua  
comoda utebatur ille , sed ad fidei pro-

pagationem, & fidelium defensionem,  
 tantóque Studio cum Sociis rem promo-  
 vit Christianam, ut annorum 14. spatio  
 ad centum millia, & amplius Ecclesiæ  
 acceſſerint. Verūm defuncto Impera-  
 tore, & imperii curâ ad 4. Gubernato-  
 res delatâ, alia ſucceffit rerum facies.  
 Quod enim diu preſſerunt odium, mox  
 effuderunt in P. Adamum, & Socios;  
 Peckinenſes confictis criminibus, & ca-  
 tenis novem ſingulos onerantes. Quam-  
 vis verò poſt ſex mensium carcerem æ-  
 rumnosiflimum, pugnante pro innocentia cœlo,  
 fuerint abſoluti, & liberati, P.  
 Joannes Adamus ſeptuagenario major,  
 ærumnis illis ad paralyſim antè contra-  
 etam accedentibus confectus occubuit.  
*Sotuell. in Bibl. Soc.*

## XXVI. AUGUSTI.

**I.** Pater Jacobus Lainez Præpoſitus  
 Generalis Societatis, è Gallia  
 redux anno 1562. jussus eſt à Præſi-  
 dibus Concilii Tridentini hac die ſen-  
 tentiam dicere de Sacrificio Miffæ, de  
 quo diu, multumque diſputatum fue-  
 rat.

rat. Verum cùm eo die alii quidam verba fecissent, quò commodiùs, pérque otium audiretur Lainius, in diem posterum dictione dilata, totum matutini conventūs tempus illi uni attributum fuit. Nemo enim erat, quem non audiendi hominis mira cupido teneret, tum ob memoriam eorum, quæ egerat in eodem Concilio Pauli, Juliique Pontificum temporibus, tum ob secundissimam famam recenter gestorum in Gallia *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 6. n. 80.*

2. Annō 1618. perhonorificas literas dedit S. Franciscus Salesius ad P. Leonardum Lessiuim, quæ pro clypeo esse possunt doctrinæ ipsius cōtra æmulos. Attulit mihi, inquit, Paternitatis Vestræ literas dilectissimus nobis Magister Gabriel, quæ ut perhonorificæ, ita & jucundissimæ mihi fuerūt. Amabā jam pridem, imò etiam venerabarte, noménq; tuum, mi Pater, non solùm quia soleo, quidquid ex vestra illa Societate procedit, magni facere, sed etiam quia sigillatim de vestra Reverentia mul-

multa audivi præclara primūm , deinde vidi , inspexi , & suspexi . Vidi namque ante aliquot annos Opus illud utilissimum de Justitia , & Jure , in quo etiam breviter , & luculenter difficultates illius partis Theologicæ , præ cæteris Authoribus , quos viderim , egregiè solvis . Vidi postea Consilium , quod à magni consilii Angelo per te mortalibus datum est , de vera Religione eligenda : ac demum obiter vidi in Bibliotheca Collegii Lugdunensis Tractatum de Prædestinatione . Et quamvis non nisi sparsim , ut fit , oculos in eum conjicere contigerit ; cognovi tamen , Paternitatem Vestram sententiam illam : *Antiquitate , suavitate , ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimam , de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera , amplecti ac tueri : quod sane mihi gratissimum fuit , qui nimirum eam semper , ut DEI misericordia , ac gratia magis consentaneam , veriorem ac amabiliorem existimavi : quod etiam in Libello de Amore DEI indicavi , &c.* Eleuther. in hist. de Auxil. lib. 1. cap. 6.

*Eodem die obierunt.*

3. Brunæ in Moravia, anno 1649.  
**P.** Martinus Stredonius, Silesius, celebris vitâ sanctâ, & oraculo, quo prædixit Leopoldo I. Imperatori glorioſo feliciter gerenda. Septennis, antequam primò Divinæ mensæ accumberet, tridui jejuniô, ac propè inediâ fe fe paravit. In Societate, dum Græcii studeret, Societatis Angelus dicebatur. Quidquid ageret, itâ castigate, ac religiosè agebat: ut Nissæ vocaretur: *Ille Pater, ex cuius ore Angeli loquuntur.* Bruna contra Suecos feliciter propugnata, & conservata, etiam Ferdinandi III. Imperatoris sententiâ, Patris Martini precibus est imputata. Extremo vitæ quinquennio, singulis propè noctibus è lectulo fe proripiebat, & ad DEIparæ Virginis iconem supplex provolvebatur; occupabatque fe tunc ejusmodi noctibus, quales optabat in agone supremo. Visus subinde est inter orandum prope templum, in aëre sub-

sublimis , animo illuc trahente pondus corporis , ubi ipse DEO fruebatur.

4. Bivonæ in Italia , annō 1611. P. Franciscus Mioldus, Italus. Tyrones ac veteranos ea suavitate rexit, ut matris loco sit habitus. Stipem studiosè, humiliérque corrogabat, qua pauperes virgines in matrimonio collocarentur ; & pronosocomio jam collapso restituendo. Sodalitatem quoque instituit pro animabus fidelium Defunctorum juvandis. Optavit eâ horâ mori, quæ Christo suprema fuit : & verò feriâ sextâ sub idem tempus exspiravit.

5. Barcinone in Hispania , an. 1589. Jacobus Mauritius, cum Sociis 5. in obsequio pestilente contagione laborantium , cecidit victima charitatis : quem eodem die, sed annō 1626. Heilgenstädii in Germania secutus est P. Joannes Kempis, unus è 5. Sociis, qui eo anno simili funere elati sunt.

## XXVII. AUGUSTI.

I. **P**ater Jacobus Lainius Præpositus Generalis sententiam dicturus

in Concilio Trid. tanta sui æstimatione impleverat Patres , & Principum Oratores : ut rarissimâ frequentiâ confluixerint ; nullus è Cardinalibus Legatis, nullus ex Oratoribus , nullus omnino ex Episcopis , aliisque Præsulibus sit deferatus. Exorsus est ex assignato sibi loco dicere de SS. Missæ Sacrificio : sed cùm paulò remotior ab Legatis esset, ut clariùs audiretur , ad se accersitum , apud se locant. At sic ab inferioribus Episcopis ægrè audiebatur , qui , cum & ipsi sitientes haberent aures , suis relictis sedibus , propriùs accedere cœperunt. Legati ergo suggestum afferri , ac inter se , & Episcopos collocari , atque indè Lainium fari jubent. Dixit continuis horis duabus cum dimidia eo successu , ut divino Spiritu copiosius irroratum esse manifestè pateret , gravissimus ille Senatus , ex flore generis humani collectus , propè attonitus hæreret , omnésque profiterentur : eum expectationem suam longè superasse. Simili frequen-  
tia , & approbatione etiam deinceps  
sæpi-

sæpius in augusto illo senatu peroravit, eximiūmque Societati nomen comparavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2.lib. 6.n.81.*

2. Annō 1590. Sixtus V. Pontifex diem suum obiit, Societati valde opportunè. Ità enim exarserat in tollendum ei nomen *Societatis IESU*, & mutanda quædam in Instituto; ut nulla informatione, nulla Cardinalium interventione averti posset. Ut tamen hominum sermones declinaret: non per se, sed per ipsum Præpositum Generalem à se concepta exequi volebat. Mandat ergo Claudio Aquavivæ, ut literis ad Provincias datis juberet omnes ab ea Societatis denominatione abstинere. Parendum fuit: sed priusquam ex literæ expedirentur, formam illarum attulit Cladius (cui omnes morsulæ in pretio erant) ad Sextum, rogans: an ex mente Suæ Sanctitatis conceptæ essent? Laudavit Pontifex obedientiam Claudi, probatasque literas reposuit in scriniolo suo, oblitus, DEO ita disponente, urgere earum expeditionem ad Provincias. Interim in

Societate servabant preces ad DEUM: nè pateretur Nomen famulo suo Ignatius traditum ad insigniendam , quam ex ejus voluntate condebat , Religionem , abrogari. Audita videtur oratio : nam Sixtus intra paucos dies sublatus est ; qui verò ei successit Gregorius XIV. insigni diplomate , & Institutum , & Nomen primigenium *Societatis JESU* confirmavit , perpetuoque retinendum statuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 10. n. 43. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

3. Ferrariæ in Italia , anno 1575. P. Fulvius Androtius , Italus , vir severioris , ac eminentis virtutis. Cùm apud Ferrariensem Ducem gratiâ polleret ; nitebatur illâ non ad commoda Collegii , cui præerat , sed ad animi illius profectum. Conscientias , quas regebat , non blandè palpabat , sed medica manu severius tractabat. Unde dicebant quidam : Si P. Fulvius indulgentius agere seu nosset , seu vellet , au-

reum

reum ipsius Collegium evasurum. Sed ille animas, non aurum volebat.

4. In Philippinis Insulis, an. 1603. P. Melchior Hurtadus, Hispanus, quem Zebuanus Episcopus laudavit, ut virum doctrinâ, & Apostolica virtute admirandum, atque ærumnarum sitientissimum. Invenit harum sat largam copiam, tum apud pictos, ut vocantur, Indos, quos decennio excoluit; tum apud Mindanaos, apud quos per annum gravi servitute pressus est, animo semper, & ubique eminente.

5. Gerundæ in Hispania an. 1605. Joannes Naves Coadjutor, Hispanus, vir ad stuporem accuratus in omnibus negotiis, & officiis, quæ hominum ejus gradus propria sunt. Sive ad fabricam, sive ad currus agendos, sive ad hortum, sacristiam, valetudinarium, aut culinam applicaretur: ubique cum quodam splendore virtutis operabatur. Cum duos Sociorum contagiosa lues corripuissest: ipse utrique diu, nocturne aderat omni genere obsequiorum; factumque, ut tandem ulcera eadem,

quæ alter in collo , alter in tibia ferebat , ipse utraque in iisdem partibus contraheret . Videns autem Patres de se admodum sollicitos , supplex procedit coram Reliquiis Sancti Patris nostri ; viditque multam ex illis lucem erumpentem , sibique circumfusam : qua ulcera sunt abstersa , & sanitas redditia . Sed placuit DEO , operario strenuo non differre diu mercedem : post 15. dies redierunt ulcera , eumque cœlo asseruerunt .

## XXVIII. AUGUSTI.

I. Luxit tandem dies , quo velut terminali lapide finis impositus est acerrimæ liti , inter duas Religiosas familias ferventi , de Auxiliis gratiæ Divinæ . Annis fere 10. ab Novembri anni 1597. ad 18. Augusti anni 1607. summo studio partium discep-tatum fuit : donec post obitum Clementis VIII. Paulus V. Pont. Max. habita in monte Quirinali Congregatio-ne Cardinalium consultavit de lite terminanda ; non tamen definitivit , quid in

in principali controversia , de doctrina Molinæ , aut Prædeterminatione physica , sentiendum esset ; sed finita Congregatione Præfectis utriusque Ordinis , scilicet Magistro Generali PP. Prædicatorum , & Præposito Generali Societatis JESU , dedit exemplar Epistolæ Encyclicæ , quam quisque illorum expediret ad Provinciales sui Ordinis , & ejusdem observantiam omnibus strictè injungeret . Tenor hujus Epistolæ patebit ex ea , quam 5. Septemb. P. Claudio misit ad Provinciales Societatis , & recitabitur hic eo die . Summa est : Sanctitatem suam opportuno tempore declaraturam , quid sentiendum : interim licere partibus insistere doctrinæ suæ , sive qualificatione vel censura partis oppositæ . Hac ratione finis impositus est controversiæ diuturnæ : nec amplius aliquid proditum est , quid in Congregatione illa Cardinalem sit actum . *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 6. c. 28.*

2. In Calabria juramento testata est Anna Comitissa Æquacensis se à S.

Xaverio Potamiensi sanum recepisse  
deploratum filiolum, novem mensium ;  
postquam illi voto promisit, se vestes  
parvulo curaturam illis similes , qui-  
bus Sanctus in terris quondam indu-  
batur. *Ex lib. mirac. Potam. n. 234.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Peruvia anno 1597. P. Mi-  
chaël de Urrea, Hispanus, paupertatis,  
& abnegationis sui studiosus in primis.  
Rectoris Collegii munus cum lacrymis  
deprecatus, angulum pro cubiculo ha-  
buit, in quo ob loci humilitatem stare  
non poterat. Ad prædicandum Ci-  
uncis Evangelium primus è Societate  
missus, multa, & acri mortificatione, se  
ad arduam illam Missionem paravit.  
Quod idolum gentis illius colli vetuif-  
set, illudque ex ara sua dejecisset, lig-  
neis acinacibus imperfectus est. Sed  
sicarii comessantes à leonibus, & tigri-  
dibus discerpti sunt ; qui fugâ eva-  
runt, pestilente lepra brevi consumpti  
sunt.

4. Ximabaræ in Japonia, an. 1633.  
*P.*

P. Jacobus Antonius Giannius, Italus.  
Post labores viginti quatuor annorum  
inter multas ærumnas exantlatos, ab  
apparitoribus tentus, suspendio in fo-  
veam triduum fidei causâ tolerato, fe-  
lici agone cursum consummavit.

5. Smolensci, anno 1635. P. Lau-  
rentius Bartilius, Polonus, vir exquisitæ  
pietatis, præsertim in Virginem DEI pa-  
ram, cuius vitam in singulos hebdoma-  
dæ dies distribuerat, & pro Meditatio-  
nis suavissimo argumento assumebat.  
Etiam cùm Provinciam regeret, nullum  
componendi cubiculi administrum pa-  
tiebatur, dicens: *Humilia officia nunquam  
eße deponenda.* Si consuleretur ab ali-  
quo, DEUM consulebat, antequam  
responderet. Gubernabat miti inge-  
nio, sed forti contra respectus huma-  
nos. Inter orandum spirabat quid  
Divinum, & subinde à terra in aëre  
sublatus conspectus est. Variis varia  
prædixit ex vero. Post mortem cùm  
Coadjutorum quispiam in mortuali  
crypta ei capillos aliquot decerpssisset  
venerationis causâ, noctu illi compa-

rens redarguit , jussitque reponere ,  
quod accepisset. Negligentem nocte  
altera gravius arguit , addens : *Nescis ,*  
*mi Frater , quantis ego mortificationibus à*  
*Domino obtinuerim , ut nulla mei particula*  
*in veneratione esset.* Recepit Frater , se  
imperata facturum , sed jam non repe-  
rit capillos ablatos. Ex ejus vita.

## XXIX. AUGUSTI.

I. **S**ANCTUS P. IGNATIUS ANNÔ 1541.  
cùm pro incolumitate P. Joa-  
nis Codurii , unius è primis decem Pa-  
tribus , rem divinam facturus tenderet  
ad ædem S. Petri in Janiculo , medio in  
ponte , qui Sixti dicitur , intentis in cœ-  
lum oculis , velut à stupore defixis ,  
repente , constitit . Tum ad comitem  
suum , referamus , inquit , nos domum ,  
Codurius noster decessit . Creditum :  
Ignatio visam , ut antea Hosii , sic nunc  
Codurii animam euntem in cœlum . Ex  
Horarum enim computatione cogni-  
tum , ipso illo temporis momento ex-  
spirasse Codurium . Insinuavit id oc-  
cultè ipse S. Pater , quando ad P. Pe-  
trum

trum Fabrum scripsit: Codurii animam  
à pio viro in oratione conspectam in  
cœlum deportari inter choros Angelo-  
rum. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 3. n. 20.*

2. Annō 1571. S. Franciscus Bor-  
gia, Præpositus Generalis, Cardinali  
Alexandrino additus à Pio V. comes le-  
gationis in Hispaniam ad Philippum  
II. Barcinonem pervenit, ubi incredi-  
bili civium benevolentia, & plausu  
exceptus est, tanquam Prorex olim e-  
jus Principatū laudatissimus. Red-  
dedit ipse urbi non minorem gratiam,  
quando acerrimam litem inter Colle-  
gia Canonicorum Catalauniæ, & re-  
gios Procuratores ferventem unius diei  
spatio felicissimè composuit. Hic ob-  
vium habuit Ferdinandum Borgiam,  
unum è liberis suis, quem Philippus  
Rex ad gratificandum parenti de in-  
dustria legerat ad salutandum, dedu-  
cendūmque Legatum. Valentiam ver-  
sūs progressus cum Legato, in nobili  
Hieronymianorum cœnobio reperit  
Carolum Ducem Gandiæ cum fratre  
Alphonso, filios suos, & Marchionem  
Lom-

Lombayæ Franciscum, nepotem suum,  
cum magno propinquorum , & asse-  
clarum nobilium comitatu , habuitque  
omnes genibus suis affusos ad venera-  
tionem inter uberrimas lacrymas. Ve-  
rūm modestissimus DEI famulus celer-  
rimè sese eripuit , & iussis illis Legato  
adesse , in collegium se recepit ad dul-  
ciores fratrum , filiorūmque in Christo  
amplexus. *Sacchin. in hist. Soc. lib. 7. p.*  
*3. n. 126. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

3. Romæ , annō 1541. P. Joannes  
Codurius , Allobrox. Nonus in prima  
decade Sociorum S. Ignatii. Parisiis ,  
dum primis Exercitiis excoleretur , tri-  
duum sinè cibo , & potui transegit , ma-  
gno piorum affectuum æstu exarde-  
scens ; nec defecit postea à concepto  
ardore , sed eum magnis auxit incre-  
mentis. S. Ignatius vidit morientis  
animam lucidam inter choros Angeli-  
cos ferri ad cœlum.

4. Ximabaræ in Japonia , an. 1633.  
Joannes Guindora , seu Kidera Japon ,  
lon-

longis carceris incommodis , fidei odio  
maceratus , tandem in foveam prone  
capite suspensus , quarto die bonum cer-  
tamen glorioso agone coronavit.

4. In Monte Regali , anno 1637. P.  
**C**hristophorus Ferrerius , Italus , amore  
Vocationis suæ , & inimicorum clarus .  
Jam in Societate viventi misit Pater  
senio gravis Testamentum à se confe-  
ctum , ut P. Christophorus illud arbitrio  
suo accommodaret . Inter alia hæc  
scripserat : Si verò P. Christophorus  
Ferrerius , unicus meus filius , per mor-  
bum aut alia de causa in religione non  
perfisteret , sed ad sæculum revertere-  
tur : eo casu rescindo , quidquid con-  
stitui , & illum omnium omnino bono-  
rum meorum heredem constituo . Hæc  
lecta in hunc modum vertit P. Chri-  
stophorus : Si verò P. Christophorus  
Ferrerius , unicus meus filius , per mor-  
bum , quacunque de causa , usque adeò  
esset demens , adeò ingratus DEO , &  
adeò impius , ut religionem desereret ,  
revertereturque ad sæculum , eo casu  
pronuncio illum indignum , qui mihi  
succè-

succedat, & sit hæres meus, &c. Sicario, qui fratrem ejus interemerat, non solum ignovit facile, sed in quotidiano sacrificio semper pro illo oravit, & multum ei dolorem de patrato facinore impetravit.

### XXX. AUGUSTI.

I. **A** Nnō 1591. Gregorius XIV. Pontif. Maximus Constitutionem Sixti V. *Cùm de omnibus abrogavit, secundùm quam debebant Novitii non aliter suscipi, quam in Congregatione Generali, vel Provinciali, quod non nisi cum summa difficultate fieri poterat, concessitque facultatem Novitios juxta Constitutiones Societatis admittendi, & cum illegitimis dispensandi. Liter. Apost. Constit. Greg. Exponi nobis, &c.*

2. Clemens verò VIII. annō 1602. extendit facultatem erigendi externorum Congregationes, Primariæque Romanæ aggregandi, ac Indulgentias ei communicandi, Præposito Generali

li aliâs concessas , etiam ad Residentias  
Societatis. *Ex Liter. Apost. Bullar. Soc.*

3. Annô 1558. Congregatio Gene-  
ralis I. Decreto 100. confecit Instru-  
mentum publicum de auctoritate Præ-  
positi Generalis in Contractibus, decre-  
vitque , quod Præpositus Generalis  
possit per se, absque Congregatione  
vel Collegialibus capitulariter convo-  
catis celebrare quosvis contractus (dum  
modò non agatur de dissolutione , aut  
alienatione Collegii , vel Domûs jam  
erectæ ) & acceptare donationes , & ap-  
plicare ad hanc vel illam partem , seu  
domum, prout senserit ad majorem Dei  
gloriam fore ; posse quoque eandem  
potestatem communicare Provinciali-  
bus, & Superioribus locorum, prout ipsi  
in Domino visum fuerit. *Congr. 1. decr.*  
*100.*

4. Annô 1656. Carolus Maranta E-  
piscopus Juvenacii in regno Neapolitan-  
o, publico chirographo testatus est:  
Isabellam, uxorem œconomi sui , pesti-  
lentibus ardenter carbonibus , illico  
restitutam esse sanitati , postquam de-  
cem

cem sacra ad aram , & in honorem S. Xaverii à se celebranda pro infirma votit. *Ex libello Mirac. in regno Neap. Mir. 3.*

*Eodem die obierunt.*

5. Treviris in Germania, an. 1587.  
P. Clutius, Belga. De statu vitæ deli-  
berans, cùm animo fluctuaret inter So-  
cietatem, & alium religiosum Ordinem,  
multisque lacrymis lumen à DEO pete-  
ret; manifesta DEI voce , dixit se hæc  
verba accepisse: *Petre , Petre : beatus ille ,*  
*quem vocavi ad Societatem nominis mei !*

6. Pragæ in Bohemia, annô 1660. P.  
Adamus Krawarski, Silesius, multis ad-  
versitatibus in Virum Apostolicum for-  
matus, supra triginta hæreticorum mil-  
lia per Bohemiam ad Catholicæ Eccle-  
siæ ovile reduxit; Concionator, & Ope-  
rarius, inter varia vitæ discrimina inde-  
fessus. In concionibus plerumq; ser-  
vabat hanc methodum. Flexis in pul-  
pito, vel altiore subsellio genibus, DE-  
UM ac Cœlites religiosè testabatur se  
ea dicturum, quæ saluti audientium ne-  
cessaria forent ; séque Divino tribunali  
pro

pro eis respondere paratum, se plecti æternūm velle, si sciens falleret. Tum Divinas literas, & Latinos, Græcōsque Patres palām promebat ad firmandos Catholicæ fidei articulos. Quia industria populum mirificè permovebat, & postea tanquam potestatem habens, flamas in corda vibrabat. Societate ab hæreticis ex Urbe Pragensi ejecta, carbonarii veste cum curru rediit P. Adamus, & Catholicis clām spiritualia ministrabat. Ab hæreticis pessimè acceptus non semel pro verberibus, & vulneribus gratias reddebat, etiam diuinō Sacrificiō pro illis celebratō. Ut se ad Sacrificium præpararet, quantum fieri poterat, duobus intereat, ac post celebrationem, per duo alia gratias reddebat. Ad tam fructuosos labores, & insignem sanctimoniam se disposuit nō una insigni sui victoria. Primūm enim ad sortem Coadjutorum redactus, tanquam ad alia inutilis, culinæ obsequiis & curandis per hyemem fornacibus addictus est. Deinde inter Scholasticos relatus, cùm alii Philosophiæ discendæ

applicarentur, ipse per quadriennium parvulos elementa docere jussus est , licet ætate maturior. Ad Philosophiam tandem expeditus, per errorem Casibus discendis est applicatus. Rursum Philosophiæ restitutus , cum illâ finitâ Examinatorum non dubia judicia haberet pro Theologia speculativa , iterum per errorem Morali est addictus : & quamvis inter tot vicissitudines gravem in affectu luctam sentiret. Spartanô tamen silentio, & Christianissimâ patientiâ toleravit omnia, sorte sua contentus , nec ullo signo prodidit unquam Theologiæ Speculativæ desiderium , aut improbabilitatem dispositionem de se factam. *Ex Tann.*

## XXXI. AUGUSTI.

**I**Nsigne charitatis, & humilitatis specimen dederunt anno 1559. Socii Collegii Goani in India, Consalvius Silveria Rector, vir eximiæ sanctitatis , convocatishoc die sub vesperam Collegialibus , designavit ex illis duodecim , partim Novitios , partim Scholasticos, quibus addidit Patres aliquot,

mo-

monuitque , ut expiarent confessione  
 animum , & in diem sequentem ac-  
 cingerent se ad opus magni momenti.  
 Cùm illuxisset, rei ignaros , sed ad om-  
 nia ingentibus animis paratos deduxit  
 ad Nosocomium , in quo curari sole-  
 bant, qui ex Lusitana navigatione æ-  
 groti appulerunt. Ibi peractō Sacri-  
 ficiō divinō , & Sociis SS. Eucharistia  
 curatis, deduxit omnes in vilem domun-  
 culam , ubi diversaturi erant, docuitq;  
 ex ordine, quid essent acturi, cæteris-  
 que præfecit P. Franciscum Capralem.  
 Non diu expectanda fuit materia exer-  
 cendæ pietatis. Altero ab eorum ad-  
 ventu die quatuor ab Lusitania naves  
 portum intrârunt, in quibus ægroti om-  
 nino ducenti. Illico pars Sociorum ac-  
 currit cum bellariis ad reficiendos , &  
 feretris ad deportandos infirmiores ad  
 Nosocomium; pars omnia decentissimè  
 instruebat ; ut omnem haberent com-  
 moditatem. Triginta, & amplius dies  
 tenuit sanctum hoc obsequium ad stu-  
 porem omnium accuratum. Tum de-  
 sum, cùm magna ex parte recreati ef-  
 sent

fent ægroti, ad Collegium revocati sunt, eoque excepti omnium gaudio, & charitate: ut premii in cœlis depositi specimen id videretur. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 3. n. 139.*

2. In Lusitania anno 1553. manifesto miraculo servatus est P. Bustamantius, cum S. Borgia Ulyssiponem tendens. Praebat Borgia orationi intentus, sequebatur Bustamantius Marianam è globulis corollam decurrentis, qui dum per angusto tramite, loco sanè lubrico, & scopuloſo securus obequitat, mula, cui insidebat repente prolapsa, præceps devolvebatur per altas rupes in flumen subjectum, traxitque secum fessorem Bustamantium, alta voce sanctissima JFSU, & MARIAE nomina in clamantem. Excitus clamore Borgia, ubi Socii periculum, & imminentem interitum vidit, nec aliter juvare posset, conversa ad DEUM mente, JESUS, inquiebat, tibi præstò sit, & tu Pater misericordiarum hominem protege. Vix hæc Borgia, cum repente mula constitit, & quidem loco tam arduo,

duo, ut omnibus stupori esset. Busta-  
ma ntius funibus è voragine extractus  
est illæsus. Sic salvi viatores religio-  
fissimi, pridie Calend. Septembris U-  
lyssiponem attigerunt. *Orlandin. bish.*  
*Soc. p. 1. lib. 13. n. 45.*

*Eodem die obierunt.*

3. Casleti, anno 1629. P. Florentius  
Tennier Belga, Septimus cùm esset in-  
ter fratres continua serie natos, quasi  
agnato gaudebat privilegio divino, ist-  
hic usitato, curandi affectos strumis, seu  
morbo regio, curabátque multos. Israe-  
lita sinè dolo vocabatur ; sui contem-  
ptui, & DEI paræ Virginis cultu potissi-  
mum clarus.

4. Limæ in Peruvia, anno 1613. Jo-  
annes Gonzalez Coadjutor, Hispanus.  
Etiam ante Societatem, cùm pecoris cu-  
ram gereret, orandi studio mirificè te-  
nebatur, non sinè lacrymis in campis eð  
se convertere solitus, ubi templum esset.  
In Societate per ipsos viginti annos cu-  
linæ officia exercuit, exquisitè mundus,  
lastus, & jaculatorias preces] in coelum

vibrans. Marchio Peruviae, cum illam culinæ elegantiam adverteret, vehementer admiratus dixit : Si liber esset à vinculo Matrimonii, se Societatem electurum, quæ tales habeat, faciatque. Rogatus frater de optimo perfectionis compendio, respondit : Obedientiam esse.

5. Tarragonæ in Hispania , anno 1604. P. Petrus Villar, Hispanus. Mirò ad afflictandum corpus utebatur ingenio. Cum Valentia præcesset, noctu sœpè ad tabernaculum Eucharisticum adibat : ibi supplex precabatur, suspirabat, animam omnem effundebat adjecta dira sui flagellatione. Per iter Coadjutori Socio mulam suam dabat, ipse illum sequebatur pedes. Eminentem viri virtutem prodigiosis gratiis honoravit DEUS, quando illi secreta cordium pandebat, morbosque ad ejus processus fugabat. Inter alios P. Fr. Petrus Paulus de Villar Augustinianus, in India gravi morbo pressus, cum P. Petri patrui sui meminisset ; illicò P. Petrum coram se præsentem sibi visus est vide-

re,

re, manifestamque ejus operi est expertus in restitutione sanitatis.

## I. SEPTEMBRIS.

I. Neunte Septembri anno 1550. in Japonia Urbem Cangoxuriam reliquit S. Xaverius, quod is ager malignè responderet sementi Evangelicæ. Firandum ergo tendebat, sed in itinere, ducente DEO divertit ad munitissimam quandam arcem à solidissimo saxo efformatam, quæ erat Echandonii Toparchæ, clientis Regis Saxumæ. Jam prævenerat fama Xaverii, nec deerant, qui ultro invitarent S. Viatorem. Ingressus arcem, mox magna cum fiducia, & ardore Evangelium prædicavit, audiente tota familia, & militibus præfidiariis. Prima concione lucratus est animas 17. quas sacro fonte tinxit; mox alii super alios accesserunt, ac inter ipsos Præfectus Domus Toparchæ, & ipsa deinde uxor cum filio natu maximo: Enchandonum ipsum, corde Christianum, à baptismo acerbat metus Regis, Christianis infensi, Xaverius sui loco ceteris præfecit præfectum illum, virum ætate, ac  
*Pars III.* M pru-

prudentia grandem, ipse Firandum te-  
tendit. *Bartolus in vita lib. 3. n. 20.*

2. Idem Sanctus, cùm anno 1551.  
accepisset, navem quandam Mercato-  
rum Lusitanorum in Japoniam esse re-  
center appulsam, literas ad illos, licet  
ignotos dedit hoc die, in quibus inter  
alia: Quæso, inquit, boni consulatis,  
suggerere me vobis, ut aliquantum tem-  
poris occupationi vestri negotii suffure-  
mini, quod recognitioni conscientiæ  
impendatis. Mihi credite, ista demum  
est mercatura longè omnium quæstuo-  
sissima, ex qua lucrum provenit, haud  
paulò, & uberior, & certius, quam ex  
commutatione mercium Europearum  
cum velleribus, aut pannis sericis Sinen-  
sium &c. *Ex Epist. novarum lib. 5. ep. 10.*

3. Cæsar augustæ in Hispania anno  
1554. ineunte Septembri commodio-  
rem nacti sunt habitationem Socii, ul-  
tro domum suam offerente Proto-Nota-  
rio Regni Arragonensis. Mirum est,  
quantis in ea urbe agitata sit, & antè,  
& post procellis Societas. Plurimum ad  
eius cognitionem, & existimationem

con-

contulit Strada Provincialis , qui ubi in  
præcipuis templis suâ illâ Evangelicâ tu-  
bâ insonuit , & in aula Proregis coram  
præcipuis è nobilitate prolixè disputâs-  
set de Instituto Societatis , itâ omnium  
animos commovit , ut diceretur pro-  
prio , & liberorum victui detrahendum  
esse , ut Patres ibi habeant Collegium.  
*Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 14. num. 73.*

4. In Moldaviam quoque initiô Septembris añô 1588. penetrârunt no-  
stri invitante principe Petro ; postquam  
indè ejecerat Calvinistas , Lutheranos,  
& Arianos , ipse Ruthenorum secutus  
ritum. Operarii tres ex Polonia addu-  
cti. *Sacchin. p. 5. lib. 8. n. 70.*

*Eodem die obierunt.*

5. Pechini in Sinis , annô 1654. P.  
Nicolaus Longobardus , Siculus , Eccle-  
siæ Sinensis magnum columen. Quin-  
quaginta propè , & octo annos in ea vi-  
nea excolenda posuit , nullum laborem ,  
nullum periculum animarum causâ re-  
cusans. In mensa nullo unquam condi-  
mento , ad somnum nulla culcitra ute-  
ba.

batur ; jejunium Ecclesiasticum nec in  
 etate 90. annos supergressa , relaxabat.  
 Sinicā eloquentiā valebat usque ad Man-  
 darinorum stuporem. Æstimavit Præ-  
 positus Generalis , Mutius Vitelescus ,  
 fructuosissimos viri Apostolici labores ,  
 & à gradu Coadjutorum spiritualium  
 ad gradum 4. Vota Proffessorum ascen-  
 dere jussit. Æstimavit , & Imperator Si-  
 nensis , qui trecentos circiter aureos pro  
 funere splendidè deducendo ( ad nas-  
 centis illius Ecclesiæ majorem commen-  
 dationem admissos ( suppeditavit.

6. Valentiae in Hispania , anno  
 1596. P. Martinus Albertus , Hispa-  
 nus. Per annos plures magnam noctis  
 partem in pia cum DEO pervigilatio-  
 ne ponebat , precandi nunquam satur.  
 DEIpara V. multoties se ipsi spectan-  
 dam præbuīt , & quodam Sabbato do-  
 mūs purgamenta colligentī dixit : *Fili  
 mi , valde , valde mihi in hoc places.* Jussus  
 ab illo pictor imaginem DEIparæ , quæ  
 sibi apparuerat , pingere , pinxit , pi-  
 ctam ostendit , cui Albertus , immatne  
 quantum à veritate aberrâsti ; nisi pu-  
 ra

ra manu Virgo purissima depingi, ut par erat, nec voluit, nec potuit: elue animi sordes, tum operi manus rursus admove. Paruit, animum abluit; opus ita emendavit, ut divina pincta videatur. Exstat hæc imago in Valentina domo Professorum, ejusque plurima per Christianum orbem exempla dissipata sunt. Iterum ei DEIpara se videntiam obtulit, & post triginta, inquit, mercede in laborum à filio meo conqueris. Cùm hoc suum gaudium amico narraret, is, mensēsne 30. sint, an hebdomadæ, an dies, interrogat, & Albertus: resciam modò: simûlque ad precationem, & Virginem reversus, paulò post renuntiat, 30. dies esse, quibus elapsis obiit. *Juvencius 794.*

7. Nanceji in Lotharingia, anno. 1644. P. Erardus Mainburg, Gallus. Mortua pia Conjuge filium Societati jam antè datum secutus est, Coadjutor temporalis futurus: nisi Præpositi Generalis voluntate, evolutò primò tyrocinii anno, jussus fuisset initiari sacris propter eximia in Societatem collata

beneficia. Sed trigesima post primum sacrificium DEO oblatum die , ad præmia amplissimæ liberalitatis evocatus est. Fundationi Collegii Nancejani alterum tantum adjecit : Sannicolaitanum, quantum est , à fundamentis excitavit. Inventi tamen sunt aliqui è Societate , ut sunt varia hominum ingenia , quibus minùs probabantur ejus beneficia : ille tamen cum pia conjugè , tantum abest , ut ea re commoverentur , ut dicerent potius se omne , quod faciunt , facere ad Majorem DEI gloriam ; nec cessaturos se Societatem amore complecti , licet omnes Socii sputis facies sibi conspuerent. Hoc nimirum erat , amare , & operari purè propter DEUM.

## II. SEPTEMBRIS.

I. **C**oram Clemente VIII. habita est Congregatio , & Disputatio IX. de Auxil. & examinata Molinæ doctrina ex disp. 19. memb. 1. & 2. An dum rationis judicium non absorbetur , maneat in libero arbitrio cum solo concursu generali Dei , libertas ad non consentiendum , in quoque

que temporis momento , cuicunque gravi ter-  
tationi , & ad superandam quamcunque  
magnam difficultatem , quam pro servanda  
solum in eo instanti lege naturali necesse sit vin-  
cere , &c. ? Pro parte affirmante addu-  
cit Molina quosdam Doctores , quibus  
ipse accedere videtur . Pater Valentia  
in ea disputatione contulit doctrinam  
Molinæ cum doctrina S. Augustini , &  
estendit illam cum ista optimè cohære-  
re. *Eleuther. hist. Auxil. lib. 5. c. 11.*

2. In Polonia , sublato per mortem  
valde importunam , Stephano Battoreo  
rege gloriosissimo , anno 1587. Rigæ  
in Livonia collapsa confestim est res-  
Catholica. Hæreticorum antistites à  
metu regis liberati , quod dudum molie-  
bantur , efficiunt , persuadendo turbæ ,  
ut Jesuitas urbe expellant. Vice-Rector-  
rem hoc die accesserunt quidam Sena-  
torum , Tribunuspleb. & Lutheri mi-  
nistri expositoque populi decretô , jus-  
serunt sibi tradi claves templi S. Jacobi ,  
nulos jam ritus papisticos in urbe ex-  
ercere , & mandatis populi sinè mora  
parere. Recepérunt ergo se Socii in

arcem vicinam, facta protestatione de illata injuria; atque inde excursiones faciebant ad juvandos Catholicos circumiacentes. In hac calamitate admiranda stetit duarum Virginum Sanctimonialium constantia, ferè centenariarum; quæ cùm solæ in cœnobio S. Magdalena non paucis annis perstiterent, & nunc ex mœrore ob subtractum sibi solatium Patrum decumberent: adduci nullis modis ab hereticis potuerunt, ut Religionem vel cœnobium desererent. Non deerant tamen illis Patres, ex arce suppeditando, & corporis, & animæ, per occultas industrias subsidia. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 7. n. 40.*

3. Annō 1625. Urbanus VIII. Decretum edidit: quod servus DEI Franciscus Borgia, Dux Gandia, & deinde Religiosus Professus, ac tertius Societatis Praepositus Generalis, Beatus nuncupari, & in die obitū Missa celebrari, & Officium recitari possit de Communi Confessorum non Pontificum, in Ecclesiis, & domibus Regularibus ejusdem

dem Societatis. Bullar. tom. 4. Conſtit.  
48. Urbani VIII.

*Eodem die obierunt.*

3. Conimbricæ in Lusitania, anno  
1589. Dominicus Joannes, Coadjutor,  
Lusitanus. Tolerantissimus erat laborū  
in Societate, quod diceret: in seculo  
se plus, & gravius laborasse, minore si-  
nè comparatione fructu. Anima ejus  
post mortem conspecta est cuidam Sa-  
cerdoti, multa sanctimoniae opinione  
conspicuo; quam Christus excepit pre-  
tiosis virtutum plurium, sed trium po-  
tissimum ornamenti conspicuam: cui  
etiam Sacerdoti Joannes Societatem  
commendavit.

4. Barcimonæ in Hispania, anno  
1585. Martinus Apparitias, Coadju-  
tor, Hispanus, DEIparæ Virginis cul-  
tor eximius; quæ spectandam se dedit  
morienti in heroico pestiferorum obfe-  
quio.

5. Cusci in America, anno 1624.  
Petrus Martinus, Coadjutor, Lusita-  
nus. Rem agrariam in prædiis scite, di-

ligentérque tractabat, pietatis exercitiis non minùs intentus. Cùm extra domum ageret, ter minimum à procacibus fœminis pudicitia illius tentata est, sed semper victrix; cùm sciret nos, et si extra domum religiosam simus, non tamen esse extra conspectum DEI. Etiā in itineribus media nocte surgebat ad preces, præclaris à DEO luminibus illustrari solitus. Noctu oranti adfuit aliquando jam antè defunctus P. Johannes Sebastianus, monuitque: ut propinquæ morti se præpararet. Ruri æger factus, doluit se non in Sociorum complexu mori, sed morbus inducias illi dedit tantisper, ut domum rediret: quod cùm venisset, dixit se venisse, ut domi moreretur, mortuusque est, ut vixerat religiosissimè. Non parum enim præsidii est in agone, à præsentia, & oratione Servorum DEI.

### III. SEPTEMBRIS.

I. **A** Nnō 1539. Paulus III. Pont. Maximus porrectam sibi Tibure à S. Ignatio Instituti Societatis formulam

Iam ubi legit, & expendit: *Digitus DEI.*  
 inquit, *est hic.* Adjecit sperare se, hanc  
 Societatem afflictæ Ecclesiæ fore præsi-  
 dio, & ornamenTo. *Nadas in Indice Me-*  
*mor.* *Bartol. in vita S. Ign.* pag. 182. Re-  
 gimen hujus ordinis Ignatius ex tribus  
 statibus bonis ( quod Philosophus opta-  
 bat ) temperavit Monarchico in Gene-  
 rali, Aristocratico in Assistentibus, De-  
 mocratico in Procuratoribus tertio quo-  
 que anno mittendis Romam; quibus  
 omnibus prævaleat legitimè congrega-  
 ta Societas; politices genere à viris max-  
 imis nondum satis laudato, probatoque.  
*Brietius.*

2. Finita Congregatione II. Gene-  
 rali anno 1565. in qua in Præpositum  
 Generalem electus est P. Franciscus  
 Borgia, postquam idem consuetas pre-  
 ces, & adhortationem præmisisset, pro-  
 volutus ad pedes omnium, non minore  
 humilitate, quam charitate eosdem est  
 amplexus, & osculatus. *Nadas cit.* Ad-  
 hortationem hoc clausit memorabili e-  
 pilogo. *De me, inquietabat, hoc tan-*  
*tum adjiciam:* Oro, quæsóque vos Pa-

tres, concedite, ut mecum saltém id fiat, quod facere solent cum jumentis suis, qui ea onerant. Nam hi non solum onus imponunt, sed etiam sedulò curant, ut suum perficiant iter. Quod si fortè cludicent, sublevant; si lentiùs incedant, exstimulant; si cadant, erigunt; denique si nimiū fatigentur, exonerant. Vestrum ego jumentum sum apud vos, & ego semper vobiscum. Erigite ergo jumentum vestrum vestris precipias, &c. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 50.*

3. In Indiam anno 1564. hoc die ad portum Goanum applicuerunt, cum Prorege Noronia Socii 6. ex speciali gratia Pontificis ferentes secum Jubilæum, quod lucraretur, quisquis vel uni ethnico baptismum persuasisset. Magna per hanc industriam facta est ad Ecclesiām accessio, quando seculares ipsi variis artibus, atque inter alias debitorum condonatione, inducebant ethnicos ad fontem sacrum suscipiendum. Goæ renatorum hoc anno summa fuit bis mille, septingenti, sexaginta: non minor alibi numerus. *Sacch. hist. Soc. lib. 8. p. 2.*

5. Romæ Card. Toletus datis ad Pontificem literis (quas videre licet apud Juvencum fol. 351.) anno 1594. conatus est purpuram deponere, responsum accepit: imperamus tibi tota auctoritate nostra, nè deinceps cogites de Cardinalatu abdicando. Hæc verba non sunt nostra, sed ejus, qui ea nobis inspirat, DEI. Juvencius f. 331. Quamobrem Toletus diutiùs pugnare nequam ausus, datum sibi locum inter Purpuratos Patres retinuit, identidem dictans, malle se in umbra Collegii delitescere, quàm in sacri senatūs luce conspicī.

*Eodem die obierunt.*

6. Cranganoræ in india Orientali, anno 1659. P. Franciscus Garzia, Archi-Episcopus Malabaricæ. Postquā in Societate insigni virtutis, ingenii, ac doctrinæ soliditate, Philosophicas, ac Theologicas doctrinas tradiderat, & Collegia Rector, Provinciam Præpositus cum laude gubernârat: Archi-Episcopali Dignitati jussus est humeros submit-

mittere: quo nuncio consternatus deliquio elanguit. Attulit ad id muneris dotes præclarissimas; inter ceteras peritiām linguarum, præter Lusitanam, & Latinam, Hebrææ, Græcæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Tamulensis, Canarinæ, Industanæ. Societatem semper Matris nomine nominabat, & ex ea assumptos ad purpuram, vel infulam depictos semper ante oculos habere voluit. Ecclesiæ sibi commissæ eam curam habuit, ut non solum fide Catholica esset exculta, verūm, & moribus, & ritibus illâ dignis. Pauperum verè pater, etiam testamentô itâ illis providit, ut ex instituto Monte pietatis semper haberent, quo sublevarrentur. Elatus est communi comploratione, & non solum Ecclesiastico, verūm & militari apparatu, tanquam Cocini gubernator pius, & fortis contra Bata-vorum insultus.

7. Nangasachi in Japonia, anno 1632. P. Antonius Iscida Pintus, Japon. Non minus exemplô, quam verbô valebat ad patriæ suæ salutem, quam inter assidua capitis discrimina promovebat fru-

fructu maximo. Comprehensus sine mora fassus est se Christianum, & Sacerdotem, & saepius solicitatus ad defectionem, provocavit tormenta ad experimentum fortitudinis Christianæ. Aquis sulphureis variè cruciatus, suspendebatur ita, ut juncturæ membrorum omnes solverentur, scapulis aqua bulliente perfusis. Tenuit ea, & alia varia excogitata carnificina totos 30. dies; demum lento igne combustus.

8. Mediolani, anno 1601. Petrus Stopellus Coadjutor, Italus, ab admirabili animi tranquillitate, sui victoria, operandi studio, & laborandi assiduitate laudatus. Cum aliquando ægrotaret, de vicina morte sollicitus, spectabilem se ei dedit DEI-para Virgo, monuitque, mortem adhuc longius abesse, oportere ipsum adhuc non parum laboris in DEI famulatu subire. Superstes igitur toto decennio talem se præstitit in omni genere laborum, quam desideravit cœlestis Patrona, quæ in supremo quoque morbo visa est Petro adesse.

## IV. SEPTEMBRIS.

I. Sanctus Pater in Palæstina visitatus  
 rus loca Sacra, anno 1523. feliciter Hierosolymam pervenit. Quantis effusæ pietatis gaudiis delibutus beatas oras salutârit, quam dulcibus osculis libârit terram Christi vestigiis, & sanguine sacratam, conjicere prouum est ex ardentissimis desideriis illius vindendæ. Et venerat illuc mansurus. Quamvis enim Manresæ per illustraciones divinas intellexisset, se parari in multorum salutem, nec soli sibi sed cum delecta sociorum manu, eam & gloriam divinam esse promovendam: ignorabat tamen, ubi, & quando id futurum esset, quin imò existimabat, Palæstinam sibi campum laboris, & certaminum theatrum esse destinatam. Verum alia DEO mens erat; & Franciscani Patres non patiebantur pium peregrinum ibi moras trahere, nedum figere domicilium. Ergo navi consensa, amores quidem suos in Palæstina reliquit, sed spem aliquando cum Sociis rever-

ten-

tendi abstulit secum. *Bartol. in vita l.*

*i. n. 4.*

2. In Indiam anno 1548. feliciter cum Sociis quibusdam appulit P. Gaspar Barzæus, natione Belga, atque inde vulgo vocatus Gaspar Belga, vir Apostolicus, & Xaverianorum decorum sanctus, strenuusque æmulus. Invenit Xaverium in procinctu ad iter Commorinense: sed is dulcissimorum fratrum amplexibus, & familiaritati dies aliquot dandos putavit. Cùm igitur inter se summa animi voluptate, quæ Societas ad DEI gloriam in Europa, Indiaque gereret, contulissent, actis bonorum omnium Authori gratiis visum est Xavero: ut P. Gaspar Natali die Virginis DEI paræ in æde nostra Goana concessionem haberet. Confluxit ingens hominum copia: sed cùm Gaspar plus spiritus, quam vocis haberet, expectationi hominum minimè satisfecit. Quamobrem Xaverius ei author fuit, ut nocturnis horis in eodem templo, quanta posset cententione vocem exiceret, donec satis virilis, & templo sufficeret.

*vide i.*

videretur. Fecit obedienter mandata Gaspar, & paucorum dierum labore plenæ vocis usum adeptus, in stupendum evasit Ecclesiasten. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 8. n. 117.*

3. In Europa Paulus V. Pontif. Max. anno 1606. Societatis Institutum, & privilegia, quæ partim à Superioribus quibusdam Pontificibus aliquid incommodi passa erant, & ab inquietis, & malevolis nonnullis malè intelligebantur, iterum confirmavit, constit: *Quantum Religio Societatis JESU, &c. & Constitutiones Gregorii XIII. & XIV. innovavit, & ampliavit. Bullar Soc.*

*Eodem die obierunt.*

4. In Africa, anno 1627. P. Antonius Macciadus, Lusitanus. Multa pro religione tulit, egitque in regno Angolæ fructu insigni, sed non minore vita discrimine. Cruentam mortem divinitus evasit, quando infesti Christianis barbari sagittis illum manu non errante missis petivere, sed DEO ipsum ulterioribus laboribus servante, non no-  
cue-

cuerunt. Heroum tamen morte occubuit, apud populos, qui Nigri dicuntur, serviendo contagiosa lue tactis.

5. Catanæ in Sicilia, annô 1637.  
 P. Vincentius Raimundus, Italus. Modestia exquisita Virginem animum in eo habitare testabatur. Ante initiam Societatem severa lege caverat domi suæ, nè ullus pauperum sinè stipe dimitteretur: quotidie verò primum, quem obvium habebat, pauperem mensæ suæ adhibebat, & cum eo lance, & poculo eodem edebat, bibebátque. Tertiâ quavis feriâ in honorem Reginæ Angelorum stellis duodecim coronatæ, duodecim pauperes liberali stipe donabat. Ecclesiasticos honores insigni virtute ornabat; ut de eo ad infulam promovendo jam ageretur. At ille in Societatem se abdidit multaque se humilitate involvit: corpus verò varia mortificatione ità maceravit, ut non solum ædificationi, sed etiam comiserationi esset.

## V. SEPTEMBRIS

I. CUM placuisset Paulo V. annô 1607. tandem terminum pone-

disceptationibus de Auxiliis Gratiæ, ac  
 Libro Molinæ, habita secreta consulta-  
 tione cum Cardinalibus ad utrumque  
 Generalem, tam PP. Prædicatorum,  
 quām Societatis misit exemplar Episto-  
 læ Encyclicæ, quam quisque illorum  
 ad totius Ordinis sui Provinciales expe-  
 diret. P. Claudio ergo Præpositus Ge-  
 neralis Soc. JESU anno prædicto, hoc  
 die efformatam secundūm Exemplar  
 Pontificum misit epistolam ad Provin-  
 cias in hæc verba. *In negotia de Auxiliis*  
*facta est potestas à Summo Pontifice, cùm*  
*disputantibus, ium Consuloribus redeundi*  
*in patrias, aut domos suas.* Additumque fo-  
 re, ut Sua Sanctitas declarationem, & de-  
 terminationem, quæ exspectabatur, opportu-  
 nè promulgaret. Verū ab Ieodem SS. Do-  
 minino seriò admodum vetitum est, in quæstio-  
 ne hac pertractanda, nè quis partem suæ op-  
 positam, aut qualificaret, aut censura qua-  
 piam notaret. Ad hæc tam nostris, quām  
 Dominicanis Patribus injunctum: ut severa  
 castigatione plecteretur, quicunque adversus  
 banc legem delinquisset, quam vult modis  
 omnibus servari. Quin optat etiam, ut ver-  
 bis

bis asperioribus, amaritem animi significantibus, invicem abstineant. Quare Vesta Paternitas curabit hæc observari, moneatque nos sigillatim de iis, quæ in hoc genere contingint: quò juxta votum SS. Domini suam Beatitudinem certiorem de omnibus facere possimus. Romæ 5. Septemb. 1607. Sic terminata est famosissima controversia, in cuius exitum orbis universus, orthodoxus, & heterodoxus, toto decennio intentissimus fuit. Inconcussa mansit Societati sua doctrina, & Liber Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum gratia divina servatus est undique indemnus. *Eleuth. hist. de Auxil. lib. 6. cap. 28.*

2. In Gallia anno 1567. Turnonense Collegium pene excidium passum est ab hereticis. Circumsidebant armatis copiis civitatem, civibus quidem immunitatem promittentes, at Jesuitis omnibus cladem extremam. Rector igitur P. Claudius Matthæus sub noctem convocatos Socios admonet periculi, jubetque ad omnem eventum paratos esse, & supremam hanc noctem sibi reputare, non omnino infelicem,

licem, cùm detur occasio opportuna;  
**Christo Salvatori** pro morte mortem  
cruentam reddendi. Conclamârunt  
omnes se ad omnia per DEI gratiam  
paratos esse. Sed contenta fuit gene-  
rosa hac resolutione Divina Bonitas:  
heretici ea nocte nihil egerunt; &  
Provincialis literæ allatæ sunt; ut om-  
nes Billorum se reciperent; quod fa-  
ctum feliciter illucescente die. *Sacchini-*  
*bist. Soc. p. 3. lib. 3. n. 256.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Sinis anno 1631. P. An-  
dreas Rudomina, Litvanus. Sinas fer-  
venter expetiit, postquam per quie-  
tem vidit, Nostrorum sub tribus or-  
bis partibus sudantium vultus ab An-  
gelis abstergi, & sudaria illo sudore  
madentia DEO offerri, quibus ipse  
suavissimè delectatus pro singulis co-  
ronas rependebat. Se verò advertit  
P. Andreas ab Angelo suo Tutelari  
**Christo** sisti, ut operarium pro Vinea  
illa, Annuit Christus, innuitque  
mor-

mortem ipsi in Oriente oppetendam esse. Impetrata igitur Missione Sinen-  
si, sinè mora illuc advolavit : sed non  
operari licuit ad mercedem capien-  
dam evocato. Adfuit morienti S. P.  
Ignatius , quem filiali amore, atque  
obsequio impensè colebat. Unde ad-  
stantem sibi Patrem quendam monuit:  
Mi Pater, excipe, quæso, honorificè  
nostrum Patrem S. Ignatium , qui me  
accepturus secum venit. Vide, quàm  
pulchra est facie, quàm pulchrum co-  
mitatum secum dicit? Vide, me vo-  
cat. Fama est, cadavere illius in  
templo exposito, suavissimum odorem  
latè omnia implevisse.

4. Grannatæ in Hispania , annô  
1648. P. Alphonsus de Medrado , Hi-  
spanus. Innocentem , & laboriosam  
vitam tuim in India Occidentali, tum  
in Hispania actam priusquam conclu-  
deret , trienniō antè, in gravi mor-  
bo , vidi in cœlo aperto Christum  
D. S. P. Ignatium , & alios è Socie-  
tate , conversusque ad Christum , con-  
fiden-

fiderenter quæsivit : Domine, jámine tempus est, ut eam tecum? Non nunc, reposuit Christus, verùm post annos aliquot. Tum supplicans humiliter Domino pro se, & Sociis Collegii Granatensis, audivit: Omnes illos esse prædestinatos ad gloriam. Quonuncio latus, & idem iterum audire gestiens Alphonsus, repetiit: Omnes Domine? Fili, respondit Christus, omnes, qui hodie sunt in hoc Collegio, salvabuntur.

5. Gandavi in Belgio, anno 1621. Magister Carolus de Paro, Belga, teneræ, fortisque pietatis juvenis. Pertinax illi certamen fuit cum somno, qui oranti obrepebat, & tamen flexis genibus perfistebat. Non prius ad lectiones ibat, quam SS. Sacramentum adorasset. Indias desiderabat, sed ad cœlum abreptus est. Äger cum Crucifixo tam ardentes miscerat sermones: ut is illi ab oculis tolli debuerit, nè nimia contentione vires præcipitaret. Sæpe in hæc verba erum-

erumpebat: O bone JESU! quām sancta, quām bona Mater Societas JESU! Disquarentibus Medicis, an aliquid adhuc superesset remedii? Carolus magno læti animi sensu, desperatum est, ajebat, Domini Doctores: ad cœlum immus, ad cœlum! Et paulò post, ut spes est, ivit.

## VI. SEPTEMBRIS.

1. **A** Nnō 1561. P. Alphonsus Salmeron, à Lainio Præposito Generali jussu Pontificis in Galliam profici- scente, Vicarius Generalis designatus, Neapoli Romam iter agebat: cum ecce à malevolis, vel hæreticis, fabula cu- ditur, & in vulgus spargitur: Salmeronem, cuius eloquentiâ, & doctrinâ tunc vel maximè sustentabatur Neapoli religio Catholica, in vincula, & carce- rem abreptum disparuisse; mox addi- tum, jam exustum esse tanquam hæreti- cum; alii testabantur Genevam profu- gisse cum ingenti pecunia; nec de- rant confitæ Cardinalium literæ, qui- bus idem significabatur. Eò denique

res evasit : ut etiam Religiosi , & nobis amicissimi jam dubitarent , nequid veri haberet fabula ; pueri quoque in plateis occinebant : Salmeron hæreticus factus est. Et erat res scandali non levis. Facilè enim vulgus ratiocinari potuit : si Salmeron vir tam doctus , & religiosus tandem aliam amplexus est Religionem : videtur Catholica tam pura , & firma non esse, prout jactatur. Multi ergo judicabant , necesse esse , ut Salmeron Neapolim reviseret , & fabulam dilueret : sed cùm id sinè notabili Societatis quam administrabat , incommodo fieri non posset ; Summus Pontifex Cardinalibus certis negotium dedit : ut suo nomine ad Proregem Neapolitanum , aliósque viros primarios literas darent , atque urbem de Salmerone edocerent . Sic evanuit monstrum suum figmentum . *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. 156.*

*Eodem die obierunt.*

2. Nangasachi in Japonia, ari. 1627.  
P. Thomas Trugi, Japon. Post præ-  
clæ.

claros sudores per annorum 34. spatium patriæ suæ impensos comprehensus , & fidei odio ad rogum damnatus est. In medio flamarum de Christi patientis tormentis , ac de fide Christi magno spiritu , & verborum pondere peroravit. Mox voce in cantum flexa Psalmum : *Laudate Dominum omnes gentes,* occinuit , & inter canendum extinctus est. Illud mirabile , quod , & Lusitani , & Japones viderunt : Pectus mortui Patris Thomæ ultro apertum dissiliisse ; & ex illo visam egredi rubram flamمام , quæ sursum in cœlum inter magnos splendores evolavit , mirum in modum accensis cordibus Christianorum.

3. Annō 1622. P. Paulus Josephus Arriaga , Hispanus , spiritu , & laboribus Apostolicis apud Indos clarus DEI paræ V. hortatu Societatem ingressus , illam , ac Angelum Custodem , & coluit accurate , & opem utriusque luculentam ac familiarem expertus est. In cultum Passionis Dominicæ , & Dolorum Beatissimæ Matris , à meridie Feriæ 6. Magnæ usque ad meridiem Domini-

ei diei, nihil gustabat. Visu est interdū à terra sublimis, & cordium quoque se-creta penetrâsse. Obiit naufragus fle-xis genibus, in amplexu Crucifixi: pro-ut antè jam prædixerat.

4. Drepani anno 1630. Joannes La-parus, Italus Coadjutor, & Coadjuto-rum norma. Admirabilem in labori-bus assiduitatem, cum summa cibi, po-tusque parsimonia ità conjunxit: ut semper, & minimum comederit, bibe-ritque, & plurimum laborârit. Exten-dit religiosos labores suos usque ad an-num ætatis centesimum septimum, non alterius industriæ beneficîo, quam par-simoniæ in victu, & vegetationis in affi-duo labore.

5. Londini in Anglia, anno 1679. odiô fidei suspensus, & laniatus est P. Carolus Backer. *Hazard. in Append. 2. bist. Eccles. Angl.*

6. Romæ anno 1649. P. Damianus Strada, Italus, historicorum recentio-rum, facile princeps, veterum nemini secundus. Artem Rheticam publicè professus Romæ annos 15. Quantum in

in ea excelluerit , satis prodit historia ipsius de Bello Belgico ab eruditis etiam Acatholicis mirificè laudata , cuius præstantiam sinè fuco testantur sæpiùs repetitæ ipsius impressiones , & in alias linguas versiones . Certè Wladislaus Rex Poloniæ , & Sueciæ , lecta prima ejus Decade , imperare sibi non potuit : quin ad Mutium Vitellescum Præp. Gen. & ipsum Stradam daret literas , solicitando ad maturandam Decadis secundæ editionem . Quæ tandem edita , eo plausu acceptata est , ut intrà biennium decies sit recusa latine , & in quinque diversas linguas , Italicam , Hispanicam , Gallicam , Anglicam , & Flandricam translata . Inter hos plausus eâ fuit modestiâ Strada : ut nunquam ei exciderit verbum , quo vel sua extolleret , vel aliena deprimeret . *Sotuellus in Bibl. Soc.*

## VII. SEPTEMBRIS.

I. IN Japoniam , quam S. Xaveriô in Indiam reversô , soli excolebant P. Cosmus Turrianus , & Joannes Fernandius , feliciter appulsi anno 1552.

Socii tres, Regnum Bungi attigerunt. Hic honorifice jussu Regis accepti, certisque in ædibus collocati, postridie cum muneribus à Prorege Indiæ transmissis, Regem adierunt, & faventissimum rei Christianæ repererunt. Cùm enim peterent potestatem liberam prædicandi in regnis ipsius Evangelii, & subditis populis licentiam, eandem amplectendi: utramque sinè mora concescit, promisitque edictō per omnem ditionem suam publicatō se rem Christianam promoturum. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 12. n. 134.*

2. Annō 1574. P. Stanislaus Varsavitius à Gregorio Summo Pontifice in Sueciam missus, ad Regem, & regionem Romanæ Ecclesiæ restituendam, cùm spes nulla affulgeret ob Regis pusillanimitatem, existimantis: nullo modo Suecos reddituros ad Ecclesiam, nisi concessa populo communione sub utraque specie, & Sacerdotibus permisso conjugio: rediit in Poloniā, & primō Gedanum, dein hoc die prosperè Brunsbergam pervenit, eo prorsus tempore,

quo

quo ante annos 8. in eodem Collegio  
Exercitiis S. Ignatii exultus , DEO →  
se in Societate militaturum consecravit.  
Inde Varsaviam , denique Vilnam , ubi  
Collegium Rector gubernavit , cum in-  
signibus S. Birgittæ Reliquiis , quas à →  
Capellano Reginæ acceperat , est re-  
verstis. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 2, n. 37.*

3. In Tartaria magna , anno 1689 .  
conventum denique est hoc die inter →  
Sinenses , & Moschos de limitibus u-  
triusque imperii : ad quos definiendos  
duobus suis magnis Legatis comites ire  
jussit Imperator Sinensis è nostris P.  
Thomam Pereiram Lusitanum , qui an-  
nuente Rege in Socium assumpsit P.  
Franciscum Gerbillon Gallum. Horum  
operam , & dexteritatem in agendo →  
cum Moschis , ac potissimum eorum In-  
terprete , ità suspexerunt Legati Sinen-  
ses : ut Imperatori disertè affirmârint ;  
finè ipsis nunquam optatum exitum →  
habitum fuisse negotium illud. Fru-  
ctus operæ præstitæ ingens fuit , Edi-  
ctum publicum ab Imperatore per uni-  
versum Imperium , vulgatum anno →

1692. quo nobis prædicandi , indigatis autem ampla facta est potestas . Christianam Legem suscipiendi. Ex literis P. Thomæ Pereira datis ad Præpositum Gen. anno 1692.

*Eodem die obierunt.*

4. Cassoviæ in Transsylvania , anno 1639. P. Stephanus Pongracz. Hungarus , & P. Melchior Grodecius , odiō fidei cæsi ab hæreticis Calvinistis. Indiâ primūm triduanâ maceratis mors denunciata. Prodiens è cubiculo P. Stephanus , rostratâ clavâ pectori impactâ , prostratus est : mox illi caput fune circumactum , tantaque vi compressum , ut mortuus crederetur. Tota nox in ditis cruciatibus acta , digitis , aliisque tenerioribus partibus intra bombardarum rotas contortis. Invitatus subinde ad sectam Calvinianam , libertate promissa ; cum contentissimô studiô negaret ; admoto igne , ustulatum ei petitus ; denique unâ cum P. Grodecio , & quodam Canonico Strigonensi jugulatus est ; corpora in latrinam projecta.

Cum

Cum postea inde extraherentur ab Illustriſſima Catharina Palfia, Proregis Forgachii conjuge, suavissimo fragrabant odore: quin & cantus Angelici auditи sunt, & prodigia non pauca ad illorum tumulum patrata.

5. Lancastriæ in Anglia, an. 1628.  
P. Edmundus Arouſmithæus, Anglus, quod sacerdos, & Jesuita effet, docuisſetque extra Catholicam Ecclesiam non dari salutem; capit is damnatus, raptus, suspensus, & quadrifariam sectus est. Sequenti die spectabilis factus Ambrosio Barlo, Ordinis S. Benedicti Sacerdoti absenti retulit. *Quām bene ſecum actum effet Lancastriæ; monuitque, ut simili ſe fortunæ pararet.*

6. Xeresii in Hispania, anno 1616.  
P. Josephus de Escalza, Hispanus. Cum Ministri munus gereret, unus ipſe plurium Coadjutorum obibat officia, eaque infima. Illud ſibi altè in animum impreſſerat: *Se omnium effe mancipium.* Aliquando laboribus fesso objecta eſt species Christi, gravi cruce onuſti, audivitque dicentem: *Eili, fi tua crux tibi*

*gravis videtur, meam aspice : neque tibi  
persuadeas, quod sinè me sis in tua.*

## VIII. SEPTEMBRIS.

1. **S**anctus P. Noster anno 1540. Sa-  
crificiō Natali DEI-paræ V. ob-  
latō, grave, valdēque impeditum, ne-  
gotium confecit. Fundatio Collegii  
Patavini, in ditione Veneta, impedie-  
batur, à viro gravissimo tam validè : ut  
quamvis P. Linez illâ suâ, cordium do-  
mitrice, eloquentiâ, & rationibus Her-  
culeis, pro illa perorârit in amplissimo  
Senatu Veneto, cum magno plausu, &  
assensu, effectus tamen optatus obten-  
tus non sit. Deficientibus ergo mediis  
aliis, scribit Linez ad S. Patrem, ro-  
gatque, ut vel semel sacris operetur in  
eum finem. Fecit ille hoc die, rescri-  
psitque Laynio : bono animo esset, non  
dubitaret de felici eventu, DEUM pro  
nobis esse. Nec sanè alium, quam præ-  
dixit, res exitum habuit, usque ad om-  
nium stuporem. Quamvis enim po-  
tens adversarius plurimos numeraret, &  
sanguine, & affinitate, & amicitia sibi

jun-

junctos, à quorum suffragio causa pen-debat: postquam tamen in frequentissimo Senatu, centum, & quadraginta quinque Senatorum, ventum est ad calculos, vix duo ceciderunt pro adversario. Tam insperato eventu, mirum quantum nobis conciliata est sapientissimæ illius Reip. benevolentia.

*Orland. hist. Soc. p. l. 1. 8. n. 20.*

2. Annô 1548. P. Gaspar Barzæus Goæ in India stupendam dixit concionem ad epulantes. Moris ibi est, ut quando annonæ caritas est, vel in militem stipendum non suppetit, epulum publicum præbeatur à Prætore animis demulcendis. Contigit, ut sexcenti hujusmodi adessent convivæ: ad quos jussus ex tempore dicere P. Gaspar, thema illud assumpsit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* tanto spiritu, tantaque eloquentia dixit, ut omnes reliæ dapibus assurgerent, & attoniti Prædicatorem audirent. Ubi peroravit, subjunxit, se proximâ feriâ secundâ, quintâ, & sextâ ad longè lautiores epulas ipsos invitare; quas iteratis fer-

monibus magno auditorum fructu præbuit. Præstítit idem , & alia plura obedientiæ cœcæ argumenta felici even- tu , ut videre est apud *Orlandinum hist.*  
*Soc. p. 1. l. 8. n. 120.*

2. Sinensibus hic dies , nascenti , DEI-paræ sacer , admodum auspicatus illuxit. Eo enim P. Matthæus Riccius , Sinatum Apostolus , primò in urbem regiam Pechinum pervenit. Deinde eodem die annô 1609. primum erectum est Sodalitium Marianum , cuius primus Præfectus fuit Lucas quidam , vir Apostolico spiritu fervens , atque ut Evangelista ille , cultui Matris DEI propagando addictissimus. *Trigautius lib. 5. Expedit. Sinen. cap. 16.*

### *Eodem die obierunt.*

4. Spiræ in Germania , annô 1609. P. Joannes Magirus , Germanus. Vocatus à DEO ad Societatem , cùm tergi- versaretur , vidi per quietem fratrem suum germanum nuper vitâ functum , qui acerbè ipsi exprobrabat torporem , & vivendi libertatem ; denique Crucifi-

fixum monstrans, haustum ex ejus latere sanguinem conjecere in Joannem vi-sus est, cum his verbis : *Vide, nè hic sanguis in cassum pro te effusus sit.* Ergo So-cietatem , contempta opima hæreditate, sinè mora iniit , in qua Ecclesiasten egregium agens persancte vixit. Fe-bris demum illum extremis admovit : in quo morbo objecta illi Christi D. & S. Ignatii cœlesti specie, suavissimè recrea-tus dicebat : Meliores esse omnes febres tales omni sanitate humana ; & Socios ad Societatis virtutem , id est, Obedien-tiam potenter exhortatus, piè decessit.

5. Carthagenaæ in India Orientali, 1654. P. Petrus Claverus , Hispanus, Fratris Alphonsi Rodriquez familiaris, ac velut discipulus in spiritualibus. Is pro Petro aliquando in preces effusus, vedit in cœlo thronum splendidum, au-divitque Angelum dicentem : *Thronus ille Clavero , tuo discipulo est destinatus ob ejus virtutem , & animas ab eo in Indiis ad DEUM convertendas.* Non solùm gra-vioris mortificationis, sed etiam mino-rum sæpe nobis molestiorum , erat stu-dio-

diosissimus. In summis caloribus sudorem non abstergebat, muscas nunquam abigebat, quamvis faciei, aut manibus usque ad sanguinem infestas. Oratulus coronam spineam capiti imponebat, collo funem, ad singula Officii Divini verba intenſe attentus.

6. Wratislaviæ in Silesia, an. 1653.  
 P. Joannes Vazin, Germanus, Concionator per annos 23. celebris *Tubæ Evangelicæ* nomen meritus. P. Henricum Pfeischmid vitâ jam functum, cœloque donatum, cùm sibi apparuisset, rogavit: An sua opera DEO placerent? *Placent, placeut*: respondit Henricus. Rogatus autem à P. Joanne, an grave Purgatorium sustinuisset? respondit: *Modicum, & breve id fuisse, DEO charitatem, quâ proximos in vita adjuverat remunerante.* Addidit: *Placere DEO Apostolicos Sociorum labores Wratislaviæ, contra serpentem antiquum pro hæresi depugnantem.*

## IX. SEPTEMBRIS.

1. CArdinialis Franciscus Toletus è Societ. JESU, anno 1594. pur-

puram sacram , quam nondum anno  
 integrō gestaverat , à Clemente VIII .  
 sibi invito impositam , exuere conatus  
 est , oblato eidem Pontifici supplice li-  
 bello : ut vitæ Religiosæ , cui assueve-  
 rat , se reddere posset . Sed Pontifex  
 re mature per triduum perpensa , ac  
 DEO precibus multum commendata ,  
 demum accersito ad se Cardinali DEI  
 nomine imperavit , ut amplius de nun-  
 tio remittendo dignitati impositæ nul-  
 latenus cogitaret . Quocirca progre-  
 di compulsus in eo vitæ genere gravis-  
 simorum negotiorum curis à Pontifice  
 semper occupatus fuit , quæ non mi-  
 nus feliciter , quam dextrè , sapienter  
 expediebat . *Sotuell. in Bibl. Soc.*

2. Annō 1614. postquam P. Fran-  
 ciscus Suarez solidum ac pereruditum  
 volumen in lucem edidit , quâ modestè  
 simul ac liberè Catholicam Religionem  
 adversus Britanniæ Magnæ Regem Ja-  
 cobum asseruit : magna id approbatio-  
 ne , & plausu exceptum est omnium  
 eruditorum Prælatorum ac Principum ,  
 præsertim Philippi III. Regis Hispa-  
 nia-

niartum , & Pauli V. Pont. Max. qui hac die ad Suarium epistolam dedit in hæc verba. Dilecte Fili , salutem , & Apostolicam benedictionem. *Accepimus* *librum* à te pro Catholicæ Religionis , atque hujus Sanctæ , atque Apostolicae Sedis defensione elucubratum . *Libentissimè* illius lectio ne delectati sumus . Nam à viro tantæ pietatis , & eruditionis , non nisi magna utilitatis opus expectandum erat . Interim tibi , maximèque laboribus tuis benedicimus . Neque hac significatione benevolentia suæ contentus , Cardinalem Burgensem Nepotem suum , prolixiores aliam scribere jussit P. Suario epistolam , quæ magis familiares , & luculentas amoris sui notas præferret . Quod Cardinalis cumulatè præstítit . *Maffeius in vita cap. 16.*

3. In Prussiam è Litvania profectus Provincialis Magius anno 1570. Brunsbergam hoc die pervenit ; ubi mirificè recreatus est conspectu maturescientium frugum , quas Brunsbergense Collegium , ceni adulta jam vinea procreabat : ita sacra in templo feruebant opera ,

pera, ità gymnasium florebat , eas Convictorum Nobilium contubernium, eas Clericorum Seminarium res ostendebant. Tyrociṇium in seposita Domūs parte constituit : unde postea maxima commoda in Provinciam emanārunt.  
*Sacchin. hist. Soc. lib. 6. n. 125.*

4. In Indiam Orientalem anno 1567. P. Organtinus cum 9. Sociis , in Occidentalem , Petrus Sancius Provincialis anno 1572. cum Sociis 14. appulerunt.  
*Idem ibid. lib. 3. n. 225. & lib. 8. n. 305.*

*Eodem die obierunt.*

5. Ad Polociam in Russia, anno 1620. P. Andreas Leomanus , Litvanus. Derpatensi in Livonia Collegio cùm præcesset, à Suecis manibus, pedibúsque ferrè vincitis abductus est in Sueciam : ubi multis ærumnis per annos septem maceratus, in carcere frigidissimo ad equuleum quoque raptus est. Tandem liber dimissus, stigmata à manicis , compedibúsque altè impressa, cum grandi collectæ patientiæ sarcina retulit in patriam. Polociæ amplitudinem charitatis

tis suæ latè expandit : quando viginti  
Sociis ægris, mirâ diligentia serviendo,  
ostendit Charitatem omnia ferre, omnia  
posse.

6. Virduni in Lotharingia, an. 1651.  
P. Joannes Parisot, Gallus, animarum  
zelô, & profundissimæ humilitatis studiô  
insignis. Exhibuit hoc in moribus,  
quod in chartam conjecerat sive votum,  
sive promissum, sanguine suo subscri-  
ptum, cuius tenor est talis : Bone JE-  
SU, Dux meus, humillimæ humilitatis  
Doctor, & Professor, exaudi me. In  
conspectu divinæ Majestatis tuæ elegi,  
atque iterum eligo, abjectus esse in do-  
mo tua, & Sanctissima Societate JESU,  
toto vitæ meæ decursu, & promitto me  
nunquam ab inita sanctæ humilitatis via  
deflexurum. Ex intimo cordis affectu  
renuncio omni sublimi in ea gradu, &  
dignitati cuilibet, paratus vilia quæli-  
bet obire munia, pueros in infimis  
Grammaticæ classibus, quantum per  
valetudinem licebit docere : & quid-  
quid contemptibilius est hominum o-  
culis ad gloriam nominis tui aggredi,

&amp;

& prompta mentis alacritate, dum vi-  
vam. exequi. Ità promitto, ità statuo,  
atque ex animo desidero.

*Joannes Parisot , Avenione , anno  
1644. ante celebrationem prime  
Missæ.*

*Sic me Christus , Dux humilitatis ad-  
juvet , &c.*

Non aliter vixit. Semper in DEI, & suo  
conspectu humillimus; Professionem  
4. Votorum non admisit, nisi jussus.

7. Burgis in Hispania, anno 1599.  
qui illi regno planè Criticus magnus e-  
rat, inter 6. Socios, in glorioſo pestife-  
rorum obsequio extinctus, primatum  
tenuit, & temporis, & dignitatis P.  
Christophorus de Ribera, hoc die sub-  
latus, postquam recenter Præpositura  
Provinciali functus fuerat, & in fatalem  
hanc arenam ultro descenderat. Eo-  
dem die anno 1625. qui Belgio planè  
funestus fuit, simili morte occubuit vir  
eximius P. Joannes Chisaire Belga, quem  
vel præcesserunt, vel secuti sunt, Duaci  
duo, Dionanti 6. Insulis duo, Attrebati  
unus, Antverpiæ 15. universim 27. Se-  
quens

quens etiam annus 1626. immunis non fuit ab hujusmodi funeribus sublati, per diversa Belgii loca Sociis 9.

## X. SEPTEMBRIS.

I. **R**obertus Cardin. Bellarminus, supremo laborans morbô anno 1621. cum adverteret velocem esse tabernaculi sui dispositionem, amicissimum sibi P. Andream Eudæmonem, Joannem, è Soc. JESU, tenerè amplexus, hoc die rogavit: ut quam primùm ederet librum aliquem contra hæreticos, in eo disertè, sancteque testaretur, Card. Bellarminum cum eadem fide, quam in suis libris propugnârat mortuum esse. Item quoad opiniones de Auxiliis Gratiæ DEI, quæ inter Scriptores Societatis JESU, & Catholicos quosdam auctores alios agitantur, à se rata omnia haberi etiamnum, quæ de illis scripserat in Libris Controversiarum, neque sententiam primam se ullatenus mutavisse. Interfuerunt huic obtestationi præter quinque è nostris, tres ipsius Cardinalis agnati, Nicolaus Bel-

lar-

larminus Abbas, Marcellus Cervinus, & Fabius Bellarminus, duo insuper cubili ipsius administri. Ut hujus rei perpetuum esset monumentum, curavit prædictus P. Andreas per publicum Scribam instrumentum confici, illudque à juratis p̄t̄fatis testibus propriæ manūs subscriptione muniri. *Petrifancta in vita Bellarmin.* lib. 7. cap. 3.

2. Annō 1590. contulerunt aliquid Socii Collegii Claromontani Parisiensis, ad eam urbem servandam, nè ab hostibus improviso occuparetur. Sparsus imprimis sub noctem fuit rumor, de urbe ab hostibus invadenda. Datō igitur consuetō per campanam signō, magna vis propugnatorum, atque inter alios manipulus nostrorum ad mœnia convolavit. Hostes ubi senserunt consilia sua prodita, nihil moverunt, idēque dilapsi sunt, qui accurrerant præsidiarii cives, & Religiosi. Perstigit tamen manipulus noster cum paucis aliorum. Animadversa solitudine hostes rem tentandam putārunt, & quos.

quosdam cum scalis silentio summō præmisserunt. Sed non fefellerunt vigiles nostros. Continuò in clamant: ad arma! expediunt se ad vim sustentandam, & cùm hostium aliquot per scalam murum conscendissent, jámque unus descensum pararet, strenuè scalas devolvunt cum militibus. Interim ad volârunt propugnatores plures, & periculum depulsum est. *Sacchin. hist. Soc. lib. 10. n. 127.*

3. An. 1650. cùm contra P. Petrum Cotonum virum religiosissimum, invidia stimulante, ac hæresi concitante, Parisiis complures famosi libelli sparsi essent, Henricus Magnus Rex Galliarum, cuius Confessarium agebat P. Petrus, mandatum dedit ad Præfectum urbis: ut severè, diligentérque inquireret in authores, typographum acriter puniret, & omnia conquireret exemplaria. *Hizart in hist. Eccl. Gall. cap. 45.*

4. Annō 1549. hac die mortuus est Paulus III. annos natus 82. cùm sedisset annos 15. dies 20. ex perturbatione

ne vehementi literis lectis Octavii ne-  
potis sui interminantis. Quare mori-  
turus identidem illud Davidicum car-  
men occinebat : si mei non fuerint do-  
minati , tunc immaculatus ero , & e-  
mundabor à delicto maximo. *Brietius.*

*Eodem die obierunt.*

5. Nangafachi in Japonia, an. 1622. P. Carolus Spinola, Italus. Illustrissi-  
mi sanguinis, cum octo è Societate So-  
ciis Japonibus, odiô fidei peremptus.  
Meaci in urbe regia, Ministrum Col-  
legii septenniô egit , tanta charitate:  
ut quos ea incendi volebat P. Franci-  
scus Pacecus, iis author fuerit, ut fre-  
quenti uterentur consuetudine Patris  
Caroli. Quotannis per mensis unius  
spatium Exercitiis spiritualibus vaca-  
bat , & se ad Martyrum agonem para-  
bat. In sævissima contra Christianos  
persecutione, sub Josephi à Cruce no-  
mine latuit, ad opitulandum Christia-  
nis: & iniquissimis licet temporibus il-  
lis quinque millia Japonum baptismô  
lustravit. Tandem 14. Decemb. an-

nō 1618. captus , compactus est cum  
 Sociis in celebrem Omurensem carce-  
 rem tam angustum ; ut singuli captivi  
 non integrum trium palmorum spa-  
 tium haberent ; unde pœdor , fœtor ,  
 & innumeræ aliæ ærumnæ , morte acer-  
 biores , integrô ferè quadrienniô tole-  
 ratæ. His tamen incommodis non con-  
 tenti fortissimi Christi pugiles volunta-  
 rias alias adjiebant corporis afflictio-  
 nes , jejunia , flagellationes , insomnia ,  
 &c. tantúsque erat in corporis infir-  
 mitate vigor spiritûs , ut P. Carolus di-  
 xerit : *Ergastulum illud sibi videri Para-  
 disum.* Præter nostros novem , tene-  
 bantur eodem carcere , ex Ordine S.  
 Dominici octo , Minoritæ quatuor , tri-  
 ginta alii Christiani. Cùm ad suppli-  
 cium vocarentur , Psalmos inter dulcis-  
 simas lacrymas caneabant. In loco sup-  
 plicii triginta millia Christianorum , qui  
 confluxerant , sunt censa. Columnis  
 alligati , cecinère læti , præcinente P.  
 Carolo Psalmum : *Laudate Dominum o-  
 mnes gentes.* Cùm jam lento igne torre-  
 rentur , scintillæ quædâ è rogo in pectus

P. Ca-

P. Caroli advolârunt , eique adhærescentes , vestem incenderunt ; unde factum , ut ante alios extingueretur . Socii ejus è Societate in glorioso hoc agone fuerunt , P. Sebastianus Quimura , primus è Japonibus Sacerdos ; Antonius Kinni , Gonsalvus Fusai , Ludovicus Gavara , Michaël Xumpo , Petrus Sampo , Thomas Acafoxi , & Joannes Cucogat , cui cum deesset palus , ad quem alligaretur , capite truncatus est .

6. Romæ , anno 1661. P. Joannes Rho Italus Mediolanensis , vir culti ingenii , & raræ facundiæ . Cum Indias impetrare non posset , totum se dedit Italiam excolendæ concionibus sacris : quo munere functus est totis 37. annis , ea cum laude , ut paucos habuerit sibi pares . Splendorem quendam cœlestem , ejus orationi addebat vita innocentia , & ex abdito promicans flos Virginitatis illæsfæ . *Sotuell.*

## XI. SEPTEMBRIS.

1. **C**Onchæ in Hispania jacta sunt , anno 1554. Collegii funda-  
Pars III. O menta.

menta. Cùm enim è Collegio Complutensi inter æstivos calores , subinde Socii aliquot valetudinis debilioris , ad fruendum cœlo salubriore, mitterentur Concham : ea morum probitate , ac compositione sese civitati commendarunt , ut non nemo Canonicorum , Petrus Puteus<sup>5</sup> , alias à Societate satís alienus , instructissimas ædes suas , cum adjunctis hortulis , & fonticulis eidem donârit , addita promissione de templo suis sumptibus extruendo . Sed optimè cœpta vix non evertit casus repentinus . Domi suæ deprehenderat civium quidam in turpi flagitio Sacerdotem , cui vindice ferro plagas aliquot mortiferas inflxit . Elapsus è manibus fauciis , incidit in Patres nostros fortè obvios , petiitque domum recipi , donec sub noctem ad tutiora se recipere posset . Admissus non gravatè curata vulnera medicamentis , & animus Confessione Sacramentali , demum ad matrem æger deportatus est . Sed unde laudem sperare poterant , probrum ac dedecus reportarunt boni Religiosi .

Rumor enim illico per totam Diœcesim diditus est, unum è Societate in flagitio deprehensum, & necatum esse. Sed non permisit DEUS, ut charitas vapularet; tantumque vitæ concessit saucio, ut veritas luculenter patesceret. Documentum tamen datum, nè nimis prompti simus, ad hujusmodi homines recipiendos. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 14. n. 76.*

2. Ad sedandas in Gallia turbas Avenionenses contra P. Possevinum, & totum Collegium, conflantibus hæreticis, & de hæresi suspectis, graves dedit literas Pius V. Pont. Max. anno 1569. ad Nuncium suum, ad Card. Armeniacum, & Consules Avenionenses, quibus, & Possevino major existimatio, & Collegio major securitas, & authoritas est conciliata. *Sacchin. hist. Soc. lib. 5. p. 3. n. 145.*

*Eodem die obierunt.*

3. Aquilæ in Italia, anno 1608. P. Sertorius Caputus, Italus. Crudus in seipsum, & ferè nimius in corporis ca-

ftigatione. In juvandis proximis la-  
borabat, quantum tres alii non desides.  
Sæpe ejus vultus cœlesti luce perfusus  
conspectus est. Invisentem SS. Sacra-  
mentum, Christus Dominus è taberna-  
culo procedens amanter amplexus est.  
Corpus ejus virginitate floridum post  
quinque annos repertum integrum, o-  
dore fragrans, molle tractabile.

4. Rhenobercæ in Belgio, an. 1639.  
P. Hermannus Hugo, Belga, suavitate  
morum, & elegantia scriptorum exi-  
mius. Quàm piis in DEUM arserit,  
affectionibus, testantur ejus pia desideria  
suavissimis elegiis in lucem data, typis  
ſæpiùs repetitis. Præfuit nostris Mis-  
ſionariis Caſtrenſibus in exercitu Regis  
Hispaniæ, tam ampla in omnes charita-  
te: ut voti Religione ſe obſtrinxerit; ad  
nulli ſive extero, ſive doméstico ne-  
gandum, quidquid charitatis præſtare  
poſſet. Hinc morbum, & mortem tra-  
xit ab obſequiis charitatis ægris impen-  
ſæ in caſtris. Viaticum percepturus,  
magnâ fiduciâ Dominum eſt allocutus:  
*Domine, tu nōſti, quòd verè verè te ex cor-*

de quæsicerim , amaverim , serviverim : red-  
de ergo mihi coronam justitiae.

5. Posnaniæ in Polonia , annō 1637 .  
P. Stanislaus Domaniewsky , Polonus.  
Noctu , somno ter abrupto , tres dabat  
horas orationi . Per Octavam corpo-  
ris Christi ferè habitabat in templo .  
Quotidiani sacri apparatus , & actio gra-  
tiarum facile duas horas occupabat . No-  
ctu ter totis viribus se cædebat ; ut sub-  
inde lassus , ad Crucifixi pedes procum-  
beret , sibi , & animabus purgatorii mi-  
sericordiam flagitans , quibus , quidquid  
boni ageret , malive pateretur , transcri-  
pserat . Ità Collegiis præterat , ut *Chari-  
tatis Rector diceretur .*

## XII. SEPTEMBRIS.

I. Inchoatum est in Germania annō  
1557. celebre Vormatiense Col-  
loquium inter Catholicos , & Acatholi-  
cos . Utrinque designati erant viri  
docti 12. ex quibus seni ex quavis  
parte primatum dicendi tenebant , alii  
quasi subsidiarii , ubi opus esset , præ-  
fò esse debebant . Inter Catholicos

Theologos aderant duo è Societate ;  
 Canisius , & Gaudanus , omnibus præ-  
 erat Episcopus Mespurgensis . Cani-  
 sio datum negotium ordinandi ea , de  
 quibus consultandum , & disceptandum  
 erat . Ex parte hæreticorum convene-  
 rant Melanchton , Erasmus , Schnep-  
 pius , Pistorius , Sarcerius , Bullingerus ,  
 Brentius , Illyricus Flaccus , & similes  
 Novatores ; tum suapte indole , tum  
**Principum** heterodoxorum authorita-  
 te feroce s . Priusquam ad conflictum  
 capitalem veniret , requisiverunt Ca-  
 tholici , ut inter duas tantum partes di-  
 sceptatio institueretur , scilicet inter Ca-  
 tholicos , & Protestantes , Augustanam  
 Confessionem confitentes ; ceteri secer-  
 nerentur , & locum non haberent , nè  
 confusio oriretur , dum quisque pu-  
 gnat pro secta sua . Sed ex hoc ipso  
 factum est initium confusionis Babylo-  
 nicæ : cœperunt enim sectarii inter se  
 digladiari , & alii alios rejicere , tan-  
 quam non sinceros Augustinæ Con-  
 fessionis professores . Quinque igitur  
 Collocutores tandem rejecti sunt : qui  
 con-

contumeliae impatiētes, expostulatōrum libellum, quō collegarūm fraudes aperiebant, obtulerunt Præfidi Colloquii, atque ad sua redierunt. Septem quoque reliqui, cūm se Catholicis imparēs viderent, negotium abruperunt, & campum gloriæ illis reliquerunt. Canisius ergo, & Gaudanus ad reformandos Vormatienses in fide, & morib⁹ conversi, operam posuerunt valde fructuosam in urbe admodum paucos Catholicos numerante. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1. n. 100. 8c.*

2. In Italia Genuæ orta seditione anno 1575. cūm ad arma ventum esset, nec modus reperiretur componendi seditiosos, frustra laborantibus Legatis Pontificio, Cæsareo, & Hispano, multum ad pacificationem contulit P. Benedictus Palmius suā illâ invictâ vi dicendi, quam etiam vaticinio firmâsse visus est, quando intra horas 24. ope DEI-paræ V. pacem proclamandam prædixit ex vero. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 5. n. 78.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Paraquaria , annô 1632. P. Marcellus de Lorenzana, Hispanus. Multis,gravibúsque laboribus , insidiis, ærumnis exercitus, Apostolicæ professioni cumulate satisfecit. Variis gratis datis à DEO honoratus , & futura ex vero prædixit multoties , & compluribus sanitatem , impositis manibus , vel Evangelio recitatō restituit , & à viperā pestilentissima sauciatus , nihil danni accepit.

4. Marchenæ in Hispania, an. 1637. P. Michaël Sanchez Hispanus. Ut ætatem teneriorem ad solidam virtutem formaret, firmarētque totos duos supra quadraginta annos Grammaticæ docendæ impendit. In obsequio pestifero- rum eadem lue saucius , quàm primū convaluit, rediit ad eandem spartam : quin yoti quoque Religione se obstrinxit quoties occasio similis obsequii se offerret, se eidem non defuturum. Quinque vel sex horas quotidie dabat orationi , nocte supplente, si diurnæ occupations non permisissent. 5. Ant-

5. Antverpiæ in Belgio, anno 1665.  
 P. Joannes Bollandus, Belga, Author  
 primus vastissimi operis, quod inscribi-  
 tur: *Acta Sanctorum.* Quamvis enim  
 non modicam in simile opus ingesserit  
 materiam noster Heribertus Rosweidus;  
 quo minus illi formam daret congruam,  
 fecit mors intempestiva. Bollandus pro  
 amplitudine ingenii, & eruditionis suæ,  
 quam excellentem concepit operis ide-  
 am, tam laboriosas ejus executioni ad-  
 movit manus, tam operosas subiit curas  
 in corradendis Sanctorum vitis ferè ex  
 omni Europa. Quinque Tomos men-  
 sium Januarij, & Februarii edidit super-  
 stes, magno eruditorum, & ascetarum  
 applausu: in ceteris quoque suam ha-  
 bet partem ex materia collecta. Mirum  
 est illum tantis suffecisse laboribus, cùm  
 & multis, nec levibus premeretur mor-  
 bis, calculo, hernia, asthmate, &c. & ci-  
 licina veste, cruentisque flagris assidue  
 attereret corpus. Quanti virum æsti-  
 mārint alii sacrarum familiarum Ordin-  
 es, patuit ex solemnibus exequiis, qui-  
 bus triduo illi parentarunt RR. PP. Præ-

Præmonstratenses , Dominicani , Franciscani , & Carmelitæ . *Sotuell.* in Bibl. Soc.

### XIII. SEPTEMBRIS.

I. **A**NNO 1598. magnum , & munificum sui æstimatorem amisit Societas Philippum II. Regem Catholicum , cui tot regna per tot annos prudenter gubernata , dederunt nomen Sapientis. Initio quidem minus illi addictus videbatur , ac tardè illam in Belgium admisit : at ubi à P. Ribadeneira de ipsius Instituto solidius est instructus , & à Ferdinando Imperatore informatus , non pauca , nec levia optimæ de illa opinionis dedit argumenta. Inter cetera est epistola data ad Præpositum Generalem Franciscum Borgiam , quâ petiit suppetias in Americam expediendas. Ob bonam , inquit , relationem , quam habemus de Societatis personis , ingentique fructu , quem fecerunt , & faciunt , in his regnis ; optavi illorum aliquos in nostras Indias maris Oceani mitti ; & quia in illis quo-

quotidie magis crescit similium personarum necessitas, & in maximum Divini Numinis obsequium cederet, dilectos Patres in illas partes pergere ob Sanctitatem, & bonitatem, quâ pollent. Quamobrem ego te hortor, ac rogo, ad Indias nostras prædictas ire jubeas 24. Religiosos, ubi à Senatu nostro fuerint designati. In quo ultra obsequium divino Numini faciendum, magnam ego capiam voluptatem, omniâque ad iter necessaria providebo, ac demum terra illa, ad quam perrexiserint, ingens gaudium, ac beneficium suâ præsentia accipiet. *Euseb. Niremb. in vita S. Borg. l. 3. c. 8.*

2. Parisiis anno 1669. manu carnicis publicè laceratus, & combustus est auctoritate Regis Christianissimi, per sententiam Judicis Justitiæ, Libellus Anonymi auctoris, Gallicè impensis sub titulo : *Moralis praxis Jesuitarum*, tanquam infamatorius, scandalosus, & calumniis refertus. *Sotuell. in Biblioth. Soc.*

*Eodem die obierunt.*

3. In itinere Brasiliensi, anno 1571.  
 P. Petrus Diaz, Lusitanus cum quatuor  
 Sociis, Gaspare Goë, Francisco Castrio,  
 Michaële Aragonensi, & Francisco Pau-  
 lo, ab hæreticis piratis Gallis odiō fidei  
 cæsus, & in mare deturbatus est. Unus  
 Sociorum Gaspar Gonsalvius, cùm satis  
 animi non haberet ad gloriosam mor-  
 tem oppetendam, posita Societatis ve-  
 ste, immiscuit se turbæ, ut evaderet:  
 sed postea, & ipse cum inutili turba,  
 nè illa alenda gravaretur navis, præ-  
 cipitatus in mare, ignaviæ pœnas dedit.

4. Castellæ in Hibernia, anno 1647.  
 P. Guilielmus Boytonus, Hibernus,  
 cum operam daret absolvendis Catho-  
 licis, à victore milite hæretico, vel ma-  
 xime Sacerdotes ad necem depositante,  
 ceteris impunitate promissa interem-  
 ptus est.

5. Comi in Italia, anno 1630. Ma-  
 gister Ludovicus Schiesa, Italus. Hunc  
 inter impigros scholæ labores mors con-  
 tagiosa intercepit. Cùm in extremis  
 esset,

esset , post diuturnum silentium , altum ex imo corde duxit suspirium , vatémine que agere cœpit , prædicens urbi , & Collegio imminentes calamitates . Expressit nominatim , quinam in Collegio essent peste morituri , imò qua die , & qua hora . Unde ista nōsset , petenti Magistro Guidoni respondit : Curiosius ista quæri , quām oporteat . Paulò pōst Sacramentis rite procuratus , piè decessit , secutaque sunt omnia , quæ Ludovicus prædixit .

6. Parnomi in Sicilia , annō 1676.P. Joannes Marchesius , Siculus , igne charitatis erga pestiferos ardantis conflagravit cum Sociis duobus .

#### XIV. SEPTEMBRIS.

1. **A** pud Sinas , Sociis annō 1583. turpiter ejectis , sed mox Amato revocatis , DEI in primis , deinde Gubernatoris Sciauquinensis favore , area conceditur pro erigenda domo , & æde sacra . Cūm Sciauquinum , quæ urbs Proregis sedes est , ad Gubernatorem pro tribunali sedentem deducti es- sent ,

sent , ejusque mandata flexis de more  
 genibus operirentur : quæsivit is , qui,  
 & unde , quorsum ? responderunt Pa-  
 tres per interpretem : se viros Religio-  
 sos esse , qui unum cœli Dominum pro  
 Numine venerantur ; venisse se ab ulti-  
 mis Occidentis partibus , annorum ferè  
 quatuor navigatione illectos famâ de  
 Sinarum Imperio acceptâ ; non aliud  
 se desiderare , quam modicam aream ,  
 in qua colendo Numini ædiculam , sibi  
 exiguam construerent domum ; victu-  
 ros se corrogato à suis sumptu nemini  
 graves , nec unquam deserturos locum  
 concessum favore Gubernatoris æter-  
 nùm æstimando . Gubernator , ut erat  
 vir comis , & benignus , facile annuit ,  
 atque hoc die Exaltationi S. Crucis sa-  
 cro , accersitis ad se denunciavit : habi-  
 turos suo , imò & Proregis assensu , opta-  
 tam aream , quam in sequenti die desi-  
 gnavit loco peramiceno prope Turrim ,  
 quæ tunc speciosissima ædificabatur pu-  
 blico sumptu . Patres amplissimis gra-  
 tiis , & vitro trigono ( quod ibi pro  
 gemma pretiosissima habebatur ) re-

mu-

munerati Gubernatorem, infinitas DEO laudes dederunt pro insperato favore, ad primum in ea terra tandem figendum illi, & sibi domicilium. *Trigautius de Expeditione ad Sinas lib. 2. cap. 4.*

2. In Brasilia, anno 1561. ingens facta est gentilium barbarorum convercio, multa millia è vallibus, sylvis, & montibus educata, atque ad vitam socialem agendam, in pagos sunt distributa, operâ potissimum Patris Granæ Provincialis, viri Apostolici, & indefessi, qui hoc die solemnem instituit baptismum, in Taparica regione, lustravitque Episcopus, ab illo, & Sociis instructos, triginta supra quingentos, postremo die octoginta paria Sacramento Matrimonii rite copulavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 28. & seqq.*

3. In Moschovia cum anno 1581. P. Antonius Possevinus, Pontificis Legatus urgeret M. Ducem, ut promissa exequeretur, praesertim quoad liberum Religionis Catholicæ exercitium, ceteris facile annuit, ultimum hoc planè abnuere decreverat; intentus tamen in even-

eventum obsidionis Plescoviae, quam Stephanus Rex fortiterurgebat, dissimulavit tantisper, iussitque Posseviniūm interim redire ad Stephanum, Paulum Campanum ad Cæsarem, & Venetos, Drenoczium cum Socio, tanquam obsides, detinuit apud se. Ergo iter suum hoc die aggressi sunt illi, quod Possevino felix fuit hoc uno, quod Moschum comitem, & interpretem, sibi datum Ecclesiæ Catholicæ aggredit. *Sacchin. hist. Soc. part. 5. lib. 1. n. 133.*

*Eodem die obierunt.*

4. Romæ, anno 1596. P. Franciscus Toletus, S. R. E. Cardinalis, Hispanus. Sotus ejus in saeculo magister appellabat illum Prodigium ingenii, putabaturque sua ætate neminem parem habere in sapientia. A Pio V. ad Palatii Apostolici conciones habendas adhibitus est, à Clemente VIII. in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus. Etiam in ea dignitate procul habebat delicias, & vanam ostentationem, legumina illi

cibus ordinarius, Sabbato panis tantum,  
 & aqua in honorem DEI - paræ Virgi-  
 nis , cuius templum eodem diœ quo  
 hebdomadis è Vaticano pedes adibat,  
 quæcunque tempestas esset , ibique sa-  
 crificabat. Festo Assumptionis præ-  
 mittebat 40. dierum jejunium. Post  
 mortem cuiquam apparetens dixit. *Ego*  
*auxiliò Magnæ DEI Matris sum salvus.*

5. In mari , annô 1571. superstites  
 P. Petri Diaz, de quo herè, Socii septem  
 hoc die odiô fidei in mare demersi sunt  
 ab hæreticis , cùm in Brasiliam tende-  
 rent ad infideles convertendos , Petrus  
 Fernandius, Joannes Alvarez, Alphon-  
 sus Fernandus , Andreas Pais , Ferdi-  
 nandus Alvarez, Petrus Diaz, & Dida-  
 cus Calvalius.

6. Parisiis , annô 1562. P. Paschasius  
 Broëtus, Gallus, unus è decem primis  
 Patribus, à S. Ignatio nomine *Angeli So-*  
*cietatis* honoratus. Italiæ primus Pro-  
 vincialis fuit ; à Pontifice in Hiberniam  
 missus cum auctoritate Nuncii Aposto-  
 lici, multa egit , ac passus est , Lugduni  
 in Gallia conjectus in vincula , ut ex-  
 plo-

plorator. Æthiopiæ Patriarcha destinatus, occubuit in Gallia , contracta lue pestifera ab ægro, cui inserviebat.

7. Nefuisii in Litvania , annô 1694. P. Andreas Damajewicz , Polonus. Ad Societatem illum compulit triste vaticinium à P. Sierakowski, Convictus Olo-mucensis Præfecto editum. Cùm enim is in triduo antecinerali interesset Con-victoribus suis , honesto lusu se distra-hentibus ( qui erant circiter 40. atque inter hos unus P. Andreas ) repente so-lutus est in amarissimas lacrymas , & singultus , quos nullo conatu cohibere potuit. Causam, cùm rogarent, atque urgerent adolescentes, aperuit: quòd scilicet ex illo quadragenario numero septemdecim tantùm salvi essent futuri. Consternatus præ ceteris Andreas, in si-miles prorupit lacrymas, nec consola-tionem admisit, donec Pater illi indica-ret eum esse unum ex illis septemde-cim. Ut tamen salutem suam faceret certiorem: Societatem ardentissimè ex-petiit, atque in ea religiosissimè vixit, vir mansuetissimus etiam extraordina-riis

riis gratiis à DEO honoratus. Joann.  
Briētius in vita P. Ujeyksi cap. 23.

## XV. SEPTEMBRIS.

1. **U**rbanus VIII. Pont. Max. tres è Societate Japonenses Martyres, Paulum, Jacobum, & Joannem Santos pronunciavit, atque Missam, & Officium de ipsis Societati concessit. Bullar. Constit. 71. Urbani VIII. Quam facultatem extendit Sacra Rituum Congregatio ad quosvis Sacerdotes Regulares, & Seculares, in templis Societas. *Ibid.*

2. Annō exactō ab obitu Card. Bellarmini, cùm Præposito Generali videatur satisfactum esse voto ejusdam Card. quo locum inter nostros defunctos sibi mortuo delegerat, & obtinuerat; ut etiam aliorum pīis, & æquis postulationibus satisficeret, quibus tanti Viri sepulchrum speciale, & notabilius petebatur; translationem Corporis ejus demandavit P. Hieronymo Boschetto, Ministro domū Professæ Romanæ. Eductum igitur è communi-

ni sepulchro , hoc die anno 1622. &  
agnitum ab eodem Præposito Gen.  
atque PP. Assistantibus , inventum est  
pectore , & capite nulla tabe vitiatis ,  
eratque vultus non modo integer , sed  
recentissima specie. Ablutum ergo ,  
atque indutum dalmaticâ , & Sacerdo-  
tali casulâ carbasinâ coloris violacei ,  
incluserunt arcâ cypressinâ , quæ thecâ  
plumbeâ tegebatur , ac deposuerunt  
in sepulchro S. P. N. Ignatii propè a-  
ram maximam , ad latus dexterum : si-  
quidem ejus inter cœlites jam relati sa-  
cræ reliquiæ pro tumulo aram obtinu-  
erant. Nec potuit dignior inferri S.  
Patris sepulchro. *Petrasancta in vita lib.*

*7. cap. 4.*

3. Coloniæ Agrippinæ anno 1582.  
dum nostri de coëmendis vicinis ædi-  
bus ad extruendum templum Collegii ,  
sunt solicii , præter spem oblatum est  
exiguum quidem , sed in proximo si-  
tum , cœnobium Sanctimonialium : qua-  
rum , cùm quinque solum superessent ,  
& istæ inter se irreconciliabiliter dissi-  
derent , convenerunt tandem , & facul-

tas

tas illis data , ut quam quæque mallet ,  
aliam ingrederetur , religionem . Sic  
cum bona Summi Pontificis venia , em-  
ptum est Collegio cœnobium illud cum  
templo suo . *Sac̄cbin. p. 5. lib. 2. n. 105.*

*Eodem die obierunt.*

4. Tabiræ in Japonia , annō 1622 .  
P. Camillus Constantius , Italus . Post  
multos labores , & ærumnas , fidei causâ ,  
in exilium pulsus , rediit personâ mili-  
tis tectus , horisque nocturnis operam  
dabat animabus juvandis . Tentus , ac  
rogo addictus , præclarum Christianæ  
fortitudinis exemplum dedit . Medias  
inter flamas egregiè de Animæ im-  
mortalitate , ac felicitate Christianorum ,  
dixit ad populum . Tum Psalmum :  
*Laudate Dominum omnes gentes* , occinuit ,  
& post *Gloria Patri* , ter Japonicè exclamavit : *O quām bene est mihi !* Denique  
absumpto ferè corpore , *Sandus* , *San-  
ctus* , *Sanctus* , quinquies decantavit , stu-  
pentibus barbaris infractum viri robur .

5. In Jafanatapa , Indiæ Orientalis ,  
provincia , annō 1628 . P. Matthæus  
Fer-

Fernandez, Indus, & Bernardinus Pe-  
cius, seu Senensis, odiō fidei à barbaris,  
confosſi lanceis, & capite truncati sunt:  
post strenuos in illa regione labores,  
baptizatis quinque millibus à solo P.  
Matthæo.

6. Taurini in Sabaudia, annō 1618.  
Cæſar Boschus Italus, Scholaſticus. So-  
cietatem ingressurus, accitis in conclave  
parentibus, collegit omnia, quæ ha-  
bebat, Musicæ instrumenta, aliisque  
perſcitè, ac perjucundè modulatus dixit:  
*Valete, valete, ô meæ hætenuſ, licet fluxa læ-  
titiae instrumenta ! Nam ego ad Christi ve-  
xillum, ad Societatem JESU, me, meaque  
studia hinc transfero.* Dixit, abjecit, a-  
biit, & in Societate ad omnem legum  
harmoniam ita composuit mores ſuos,  
ut nec ſponte, nec per inconsideran-  
tiā, viſus fit contra illam delinquere.

7. Uliffingæ in Zelandia, an. 1641.  
P. Joannes Suffren, Gallus, Concionator  
totâ Galliâ celeberrimus, & quod rarif-  
ſimum, omnibus gratus. Non enim ho-  
mines, præſertim Magistratus, & Præ-  
latos, ſed vitia, & eorum authores dæ-  
mo-

mones, acerrimè infectabatur. A Regina Maria Vidua, Henrici IV. conjugé, & postea ejus filio Ludovico XIII. lectus, ut eis à confessionibus sacris, & concionibus effet, tanta integritate munus illud per annos 31. gessit : ut nihil aulici juris saperet. Si quis ejus operam in profanis negotiis apud Regem, vel Reginam expeteret : rotundè respondebat : *Id ad Principis conscientiam minimè pertinere.* Coactus post diuturnos calculi dolores subire sectionem, nullum gemitum, nec ullam dedit vocem, præter illam id entidem ingeminatam: *Ita Pater : quia sic placitum fuit ante te.* Iussus Reginam comitari in Angliam, morbum ibi contraxit : ad quem curandum repetens Galliam, in portu Ulissingano religiosissimè decessit. Præter concionum Tomos duos, libros edidit spirituallimos ad formandum hominem Christianum. *Sotuell.*

## XVI. SEPTEMBRIS.

1. **A**NNO 1675. Clemens X. Pont. Max. Constitutione *Cùm dudum,*  
*&c.*

&c. vetuit: nè professi Societatis translati ad aliam Religionem, transfire indè valeant ad laxiorem, sinè licentia Sedis Apostolicæ, in qua expressa erit mentio facienda tum Professionis in Societate, tum istius Clementinæ Constitutionis: aliàs invalida erit eorum Professio, & pœnis apostatarum erunt subjecti. *Bullar. Soc.*

2. Compluti in Hispania, insignis Doctoris, & Abbatis Petri Valvii, contigit anno 1571. ad Societatem accessione. Erat ita instructus tum terrenis, opibus, tum naturæ, & gratiæ dotibus: ut inter mortales jam videretur beatus. Is, cum in exercitiis S. Patris votum fecisset de Societate ineunda, postmodum autem videretur sibi corpore debilior, quam ut ferre posset communem in Societate vitam, de executione voti, atque ejus obligatione toto decennio deliberavit, arguente semper conscientiâ. Quam ut tranquillaret, rem tandem trium Doctorum integerrimorum judicio commisit. Illi, cum & voti liberam, satisque deliberatam emis-  
sio-

sionem haberent perspectam, nec igno-  
rarent, quām attemperata esset huma-  
næ infirmitati disciplina Societatis, quā-  
ve charitate subveniretur indigentibus,  
pronunciārunt Petrum voti reum esse.  
Is finē mora Collegium adit, & P. Pro-  
vincialem per sacra omnia obtestatur,  
ut confessim Societatis copiam sibi fa-  
ciat. Qui, cùm distulisset impatiens  
moræ Abbas postridiè alteram, eāmque  
feliciorem fecit impressionem viribus  
totis. Admissus ergo confessim torren-  
tis instar post aggerem perfractum, se  
effudit in omne genus religiosæ pietas-  
tis, ut tergiversationem pristinam, &  
dispendium cumulatè compensaret. Et  
visus est DEUS contentus esse tanta  
contentione in studio virtutum, nam  
post vix exactos in Religione menses  
tres, consummatum in brevi tyronem,  
ad veteranorum stipendia vocavit, as-  
sumpsitque in cœlum. *Sacchin. hist. Soc.*  
*p. 3. lib. 7. n. 118. &c.*

*Eodem die obierunt.*

3. Atrebatii in Belgio anno 1633. P.  
Pars III. P. Joan-

Joannes Carlier , Belga Missionum religiosè , & fructuosè agendarum exemplar accuratum . Famâ illius fragrantissimâ commoti Albertus , & Isabella , Belgii Gubernatores Principes , accitum ad se , liberaliter laudârunt , atque ut itâ pergeret , impensè sunt cohortati , quod etiam fecit P. Mutius Vitelleschus Præpositus Generalis , adjectô mandatô , ut modum , quem in Missionibus teneret , perscriptum mitteret . Romam ad imitationem aliorum . Commune concionum ejus argumentum erant quatuor Novissima , quibus inventatorum corda validè concutiebat ; adjecta insuper acri sui verberatione , etiam coram ipsis obstinatis . Non raro ter , quatérve in die ad populum dicebat tanta contentionē , ut aliquoties sudorem sanguineo similem sudâsse sit , compertum . Nomen obtinuit Joannis non manducantis , nec bibentis , nec dormientis . Nam horâ 12. noctis jam Ecclesiam adibat , & ære campano signum conveniendi dabat , inveniebât que fæpe jam paratos , qui peccata deponebant .

4. Hui in Belgio, anno 1636. P. Henricus Carlier, Belga, nepos ex fratre Patris Joannis, de quo proximè dictum. Inclementer in se severus, charitate erga alios diffuebat, assumptâ non semel pestiferorum curâ, cui etiam immortalis tandem est; postquam Collegii Ministrum non itâ pridem defunctum vidit, audivitque se invitantem ad triumphantem Societatem.

5. Romæ, anno 1580. Januarius Duchus, Italus, Scholasticus. Tanta divinitus replebatur dulcedine, ut ad divinam accumbens mensam itâ lacrymis solum madefacere consueverit, ut indè monstrari posset locus, in quo Januarius flexisset. Solicitus supra modum de dolore pro peccatis eliciendo, tandem Natali die Virginis DEI-paræ, post suscepitum sanctissimum Christi Corpus, vocem audivit interiorem, qua jubebatur bene sperare, dimissa ei esse peccata. Itâ animo rediit serenitas. In supremo morbo stupenda fortitudine sustinebat, latus sibi transfigi, & immixtâ chirurgi digitâ vulnus diduci, ad aperientiam

dam cordi respirationem , cùm aliunde esset interclusa recenti aëri via.

6. Xaoceæ, annô 1591. P. Antonius Almeida. Hunc Lusitania dederat Societati annô 1576. Cùm occlusum in Sinam aditum cerneret Mandarinorum severitate, rogaverat moderatores, ut liceret sibi servire servitutem apud unum aliquem è Sinensi populo , & opportunitatem prædicandi ethnicis Evangelii perpetuo libertatis damno emere. Primus in Sinica sepultus humo, felicis terræ possessionem Sociis velut arrogavit, supremo in morbo gravissimis oppressus doloribus, illos augeri , sed amorem simul , & patientiam augeri postulabat. Ad officii Ecclesiastici diurnum pensum addebat Officium B. Virginis , cuius quotidie recitandi morem à puero servaverat. Peregrinationum , & ærumnarum , quas ea fert vita, durissimarum acerbitudinem jejuniis , ciliciis , flagellis cumulabat, Xaverianum illud *amplius* , amplius identidem ingeminans. *Juven-  
tius c. 19. v. 5.*

## XVII. SEPTEMBRIS.

1. **S**anctus Pater anno 1554. cum  
Patribus Professis consultationem  
instituit de adjungendo 4. Votis solem-  
nibus Professorum voto simplici , quo  
obligarentur Professi ad Prælaturas .  
promoti à Summo Pontifice , audire  
suadentem Generalem , & consilium e-  
jus sequi , si ipsis videretur melius , e-  
ditumque est , & consignatum ab om-  
nibus Decretum affirmativum. *Bartol.*  
*in vita Sancti lib. 3. n. 32.*

2. Ferdinandus II. Imperator à Pa-  
tre Præposito Generali Societatis roga-  
tus , quid sentiret de quadam calunnia  
ex Curia ipsius evulgata ? hanc anno  
1633. epistolam ad illum dedit : Reve-  
rende in Christo Pater. Remitto Re-  
verentia Vestræ mendacium mendacio-  
rum omnium mendacissimum : quod  
quidem risi , sed simul totus excandui.  
Et quia Vesta Reverentia in hoc pun-  
cto , seu mendacio à nobis testimonium  
in contrarium petiit , non detrectavi-  
mus ad conservandam bonam famam

Matris nostræ Societatis , in amplissima forma extra dare, &c. *Gomez. in Elog. Soc.*

3. Romæ, Franciscus Toletus anno 1593. magno mœrore Societatis extimescentis, nè aliis hoc exemplo in Societate nondum viso , aliqua ad ambitionem fenestra aperiretur , à Clemente VIII. in Sacrum S.R.E. Cardinalium Collegium est cooptatus , dotibus, & meritis quidem par dignitati tantæ, sed suâ, & Societatis causâ summo studio reluctans, donec præcepto adigeretur. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

4. Impositum Præpositi Generalis munus cùm P. Jacobus Laynez in annum tertium laudabiliter gessisset, abdicare se illo conatus anno 1560. voluitque in eum finem convocare Generalem Congregationem. Sed ab Aſſistentibus inhibitus est , & monitus, ut Instituto Societatis , quod perpetuum vult Generalem , non minus tribueret, quam privatæ humilitati suæ. *Sacchin. hist. Soc. n. 2. lib. 4. n. 13. &c seqq.*

*Eodem die obierunt.*

5. Romæ , anno 1621. P. Robertus Bel-

Bellarminus, S. R. E. Cardinalis, & Archi-Episcopus Capuanus. Ad dignitates Ecclesiasticas interposito anathemate, nî pareret, impelli debuit. Electionis ejus in sacrum Purpuratorum Patrum Senatum, rationem dedit Clemens VIII. hanc : *Hunc elegimus, quia non habet parem Ecclesia DEI quoad doctrinam : & quia est Nephos optimi, & Sanctissimi Pontificis ; scilicet Marcelli II.* Doctrinæ prærogativam si illi subtrahant invidi, vel amusi quidam Catholici, deferent heterodoxi : cùm nullum censeant majorem sibi hostem, nullum totis castris acriùs impugnent. Nam, ut fassus est Theodorus Beza de quodam Bellarmini Volumine : *Unus hic liber aiebat nos omnes humi proturbat.* Unde in Angliæ Academia Cantabrigiensi primum, mox etiam in Oxoniensi, nova prælectio instituta est ad Controversias Bellarmini, si possent, refellendas. E Catholicis primæ classis Sapientibus doctissimus Cardinalis Perronius, debellator hæreticorum in Gallia celeberrimus asserit ; pluris à se fieri Controversias

fidei Bellarmini, quām ullum opus, aliud quod vel ab annis mille sit editum pro Ecclesiæ defensione. Cardinalis Baronius dicit esse Turrim David, ex qua mille Clypei pendent, & omnis armatura fortium. Accedit, & illud argumentum gravissimum, quod Opus hoc in solo Septemtrione vigesimam habuerit editionem. Sanctitatem Viri eminentem testantur, & vita typis edita, & fama communis, & mira ab ipso patrata divinitus ante, ac post obitum, & Processus instituti pro ejus Beatificatione.

6. Londini in Anglia, anno 1644. P. Rudolphus Corbæus, Hibernus, post multis sudoribus rigatam Angliam uberrimo fructu tentus, & patibulo addictus est eâ causâ, quod plures ad Ecclesiam Romanam seduxerit. Patibulum suavissime exosculatus, suspensus est, atque in 4. partes semianimis sectus.

7. Romæ, anno 1599. P. Joannes Tellerus, Gallus.. Duo præclara subsidia præstitit vivis, atque defunctis. Pro vivis instituit Sodalitatem admodum frequentem eorum, qui carcere detentos

juvarent, levando eorum inopiam, curando morbos, expediendo causas, &c. quæ Sodalitas appellata est *Archiconfraternitas Caritatis*. Ad Defunctos juvandos impetravit apud Parochos: ut vespero post Salutationem Angelicam, ære campano signum daretur ad fundendas preces pro animabus Purgatorii. Assensum Parochorum detulit ad Gregorium XIII. Pont. Max. qui id opus etiam indulgentiis concessis ultro promovit.  
*Sotuell. in Bibl. Soc.*

## XVIII. SEPTEMBRIS.

I. **A** NNO 1561. Parisiis, quò recens venerat cum Card. Ferrariensi, nuncium lætum accepit P. Jacobus Laynez Præpositus Generalis, de recepta per Conventum Poisiacum Socie-  
tate in Gallia. Strenuissimè enim pro illa decertarunt Cardinales quinque, maximæ authoritatis, Lotharingus, Turnonius, Armeniacus, Guiius, & Borbonius, præter multos ex Episcopis. Lotharingus de illa recipienda retulit, sententiāmque suam multa cum laude

Societatis exposuit , atque accuratas  
preces adjecit. Secundum eum Card.  
Turnonius , quanta DEUS per novum  
hunc Ordinem , non in terris modo  
Christianorum , sed etiam apud Indos ,  
& barbaros populos efficiat , cum fusè  
percensuisset , hoc etiam , inquietabat ,  
addam : Ego his Patribus ob eorum co-  
gnitam mihi vitaे probitatem , sanctio-  
rēmque doctrinam , Collegium illud  
meum , quod non sinè magnis sumpti-  
bus apud meos ædificavi , perpetuò ha-  
bendum cum universis vestigalibus do-  
nō dedi , &c. Similia cum adjecissent  
alii , erubescere tandem , ac cedere de-  
buit adversariorum pervicacia. *Sacch.*  
*hist. Soc. p. 2. lib. 5. num. 197. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

2. Valentia in Hispania, anno 1617.  
P. Joannes Sanzius, Hispanus , pauper-  
tatis, & humilitatis amator eximus. To-  
ta cubiculi supellex illi erat lectulus ,  
mensa, sella , ligneus Crucifixus, DEI-  
paræ Virginis imago papyracea. Pau-  
peribus ad portam distribuendi spor-

tulas curam ipse gerebat ; & id faciebat de genibus , ut Christo se servire meminisset.

3. Metis in Lotharingia, an. 1657.  
 P. Joannes Fagot , Lotharingus. Piè semper, ac modestè hilaris , ádque labores tam promptus, quām idoneus. Parisiis , & alibi è pulpito Ecclesiastico auditus est magno cum gustu , & fructu per annos ferè sex supra quadraginta. Unde infensus illi dæmon, Nancæi minatus est per energumenam , se insignem illi confusionem adornaturum. Paulò pòst, dum in alia civitate concionem orditur P. Joannes , repente memoria fallente nihil habuit , quod diceret. Id operâ dæmonis contigisse , prodidit ipsémet Nancæi , palam insultando : *Nunc male est Fagoto.* Sed Pater cùm rogâsset Auditores , ut pro quodam afflito orarent , oratione facta feliciter perrexit in concione.

4. Posonii in Hungaria , an. 1665.  
 P. Zacharias Trinkelius Hungarus , vir magnis naturæ, ac gratiæ donis ornatus. Multa, & ardua pro DEI gloria , & bo-

no Societatis suscepit , perfecitque. Illud edidit singularis humanitatis specimen , quod post traditam cum plausu in Academia Græcensi Philosophiam , multis precibus impetrârit , ut ad infinitam Elementariam scholam anno sequente applicaretur. Sed descensus hic gradus ei fuit non solum ad Cathedram Theologicam , sed etiam gubernacula Provinciæ , & heroicam patientiam , qua per annos 30. graves podagræ dolores imperturbata animi serenitate toleravit. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XIX. SEPTEMBRIS.

I. **C**lemens X. cùm ad preces Serenissimi Poloniarum Regis Michaëlis , per Breve datum anno 1670. concessisset , ut quotannis die 13. Nov. Missa , & Officium dici posset de B. Stanislao Kostka Societatis JESU per universum regnum Poloniæ , & M. Ducatum Litvaniæ , & in omnibus per orbem Ecclesiis Societatis : anno sequenti , hoc die alio Brevi declaravit , Indulatum suum intelligi debere , quoad Regnum

gnum Poloniæ , & M. D. Litv. de omnibus Ecclesiis , etiam non Societatis , & de omnibus Sacerdotibus tam secularibus , quam Regularibus cuiuscunque Statûs , gradûs , & ordinis , in illis verò extraneis locis extendi ad solas Ecclesiæ Societatis . Bullar. Constitut. 45. Clem. X.

*Eodem die obierunt.*

2. Marchenæ in Hispania, an. 1636.  
**P.** Joannes de Herrera, Hispanus. Cùm ad Societatem se vocari sentiret , sed teneriore in matrem amore devinctus , tergiversaretur , è pia quadam Christi columnæ alligati effigie , audire sibi vi-  
 sis est hasce voces : *Et ego quomodo reli- qui meam ? Addita & hæc verba : Faciam te in amorem magnum.* Magnus certè a-  
 mor erga DEUM , & proximum in So- cietate torrebat illi viscera , impelle- bátque ad agenda , quæ DEO gratissi- ma , & animabus essent utilissima. Quod cùm per se non posset ità , ut optabat , præstare , assiduis precibus , & mortifi- cationibus implorabat gratiam iis , qui laborant in animabus ad fidem , vel pœ- ni-

nitentiam adducendis. Fama est, DEUM in vita, & post mortem quædam non ordinaria per illum esse operatum.

3. Bononiæ in Italia, annô 1649. P. Alphonsus Gianotti, Italus. Conceptum in tyrocinio Societatis spiritum, non solum laxavit nunquam, sed inflammavit assiduè: ut multi viso Alphonsô succenderentur ad perfectiōnem, diceréntque ex illo viso didicisse se, quid sit fervor spiritûs. Virginitatis suæ custos integerimus, cùm pro aliena etiam tuenda laboraret contra impuros quosdam, præmium operæ tulit fustigationem, & de scalis præcipitatiōnem. Ut quendam è potestate dæmonis, cui se sanguine proprio autharverat, eriperet, iussit dæmonem ad se amandari. Sed renuit ille, dicens, in DEI servum nihil sibi potestatis esse. Ad regendum Bononiæ Collegium debuit Obedientiæ præceptô compelli: & rexit exemplô magnô. Sæpe jejunio fese macerans, Bachanalium tempore dies totos jejonus transfigebat. Virginitati suæ, nè quam labeculam afflaret

ret objectum aliquod; oculis per omnem vitam non laxavit rigidæ modestiæ frenum , quod in tyrocinio illis injecerat.

**4.** Cremfii in Germania , an. 1634. P. Paulus Langemantel, Germanus, cum Sociis duobus post pretiosos labores contagiosa lue correptis impensos , insignis cecidit victima charitatis , quæ per omnem vitam eum urgebat, ut se impenderet , & superimpenderet puerorum institutioni , quibus in omnibus plateis , & compitis erat notissimus , & miserorum auxilio.

## XX. SEPTEMBRIS.

**I.** Sanctus Indiarum Apostolus Xaverius, quam primum Goam in India pervenit post unius anni navigationem, triplicem dedit epistolam anno 1542. geminam ad S. Ignatium, tertiam ad Socios. In hac cum exposuisset distinctè iter suum : & quanti labores, cum non levibus incommodis, exantlandi sunt in prædicatione Evangelii apud gentes illas , subjungit. Omnia incommoda, si DEI causâ, ut par est,

est, subeantur, profectò magna solatia sunt, & materia multarum, magnarumque cœlestium voluptatum. Evidem sic mihi persuadeo, Crucis Christi D. amatores vitam ejusmodi ærumnis exercitam beatam ducere; crucis autem fugam, aut vacuitatem mortis instar putare. Quæ enim acerbior esse potest, quam sinè Christo, ubi semel eum gustaveris, vivere, eumque deserere, ut tuas sequaris cupiditates? Mihi credite, nulla crux est cum hac cruce comparanda. Rursus, quam beatum est vivere, quotidie moriendo, nostrasque frangendo voluntates, ut quæramus, non quæ nostra sunt, sed quæ JESU Christi, &c. Ita ille. *Epist. veterum lib. 1. ep. 1.*

2. S. Franciscus Borgia, cùm anno 1565. Societatis gubernationem adiisset, plurimùm ad ejus incrementum existimavit colaturum: si Domus Probationis tyronum instituerentur separatae à Collegiis, & Domibus Professis, quantum fieri posset. Hoc igitur die initium ejus separationis factum in Urbe,

be, & paulò pòst in aliis aliquot Italiæ locis, insigni tyronum profectu. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 54.*

3. Annô 1560. insigne sidus cœlo Societatis accessit , per ingressum in eam Roberti Bellarmini Nepotis Marcelli II. Pont. Max. post edita per annum integrum apud suos varia Divinæ Vocationis , & constantiæ suæ experientia. *Petrasan. in vita lib. 1. cap. 4.*

4. Clemens IX. annô 1668. suspendit Breve Innocentii X. quô celebra-tio Congregationis Generalis in Socie-tate quovis novennio , perpetuis tem-poribus injuncta fuit. *Bullar. Constit. 26. Clement. IX.*

*Eodem die obierunt.*

5. Ulyssipone in Lusitania, an. 1579. P. Petrus Mascarenia , è prima regni nobilitate Lusitanus , cum aliis 17. So-ciis, navata insigni opera contagiosis per Lusitaniam compendiosa morte vi-tam æternam lucratus. Ardenter pe-tierat Missionem in Africam , & impe-traverat , sed cùm in Lusitania pestis  
graf-

grassari inciperet, censuit frustra quæri alibi, quædomi se offerret, palmam charitatis. *Ex Tann.*

6. Ibidem anno 1604. P. Franciscus Cardosus, Lusitanus. Inter concionatores cùm emineret, magis æstimabat Catechisini traditionem pueris, & rudibus; ideoque huic magis quàm concionibus se impendebat, ostentabátque arundinem suam, dicens: Plures se cœlo addixisse sceptro illo, quàm concionibus. Cùm pridie, & in Concione matutina, & in Catechismo pomeridiano ferventissimè ad confertissimum auditorem dixisset de morte: altera die repertus est ad mensam sedens in cubiculo, digitô porrectô in illam libri aperti sententiam: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

7. Marini in Italia anno 1556. Joannes Mendoza Novitus, Hispanus, Petri Marchionis à Valle filius, & Arcis Neapolitanæ Præfectus. Impetratâ à Philippo rege Hispaniæ veniâ, in Societatem se recipere decrevit. Quod dum molitur, itâ mores composuit: ut ado-

lescens Mahometanus eo exemplo permotus, fidem sit amplexus Christianam. In Societate ad infima se officia abjecit, cùmque visitaretur à Duce Palliani , ità ut erat linteo præcinctus, prodiit è culina, amplexum accepit, & profundam admirationem animo visitantis impres- fit. Sic occupatum judicârunt superi cœlo maturum , humilésque unius semestris labores æterna quiete , & gloria sunt remunerati.

## XXI. SEPTEMBRIS.

**I.** **P**Ost obitum Clementis VIII. & brevem 25. dierum Pontificatum Leonis XI. eyectus est in Petri Cathedram Paulus V. opportunissimus disputationibus de Auxiliis Gratiae , ut pote, qui ferè omnibus sub Clemente interfuerat , & satis habebat ingenii , judicii , atque doctrinæ ad Controversiam cum divino auxilio decidendam. Institerunt apud hunc nostri Theologi : ut tandem in examen veniret prædeterminatio physica voluntatis humanae. Non abnuit Pontifex : præmitti tamen

tamen voluit brevem discussionem 15. Articulorum de Gratia , quos proponebat , an essent vera , & sincera S. Augustini doctrina ? Habita igitur est coram Paulo V. anno 1605. 21. Septemb. Disputatio prima , in qua noster P. Joannes Bastida affirmavit , & ostendit omnes illos articulos , uno excepto ( scilicet quinto) esse doctrinam S. Augustini. Quintum excepit , quia in illo dici videtur : *quod DEUS ita exerceat dominium suum in voluntates humanas , sicut in cetera , que sub cælo sunt , v.g. in bruta : quod nec Augustinus dixit , nec subsistere potest.* Circa decimum tertium Articulum , quô dicitur : *quod Gratia efficax necessaria sit ad singulos actus hominis ;* advertit : restringendum esse ad actus pios , & meritorios. Non enim datur ad actus peccaminosos , nec necessaria est ad omnes actus morales , scilicet ad eos , qui sunt merè naturales. *Eleuth. hist. de Aux. lib. 6. c. 1. & seqq. Disputationes in hist. de Aux. part. 2. cap. 13.*

2. Annō 1601. cùm in Hispania mifificè tripudiarent adversarii Molinæ , quasi

quasi jam fulmine Vaticano exustus, aut afflatus esset, & doctrina Societatis tanquam Pelagiana condemnata ; unde non leves turbæ etiam in plebe, & rudibus scholaribus oriebantur : Nuncius Apostolicus per Hispaniam Dominicus Ginnasius publico edicto commendavit Archi - Episcopis, & Episcopis, ut hujusmodi falsos rumores inhiberent, & calumniatores coërcerent. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 16.*

*Eodem die obierunt.*

3. Caltageronæ in Sicilia, an. 1611. P. Angelus Sibilla, Italus. Angelus Siciliæ est habitus modestiâ, vitæ innocentia, & singulari orandi studiô. Per annos 30. Novitiis præfuit magnô exemplô, & regendi peritiâ. Nullam unquam se afflictandi, aut vincendi artem docuit, quam ipse non exercuisset. Mortem religiosè oppetiit, quam adhuc benevalens prædixerat.

4. Romæ, anno 1620. P. Joannes Amadeus, Gallus. Attentissimi quinque in illum oculi, nihil in moribus ejus de-

deprehenderunt, quod reprehendetur, Christi dolores meditabatur tenerè atque ardenter: unde illi heroica patientia inter adversa, & dolores. Personæ cuiquam sanctimoniarum famâ conspicuæ impensè commendaverat se, tacito tamen suo nomine. Oranti illi pro eo apparuit Christus, quinque funiculis. quinque vulnerum symbolis, trahens Joannemin cœlum, & dicens: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* In morbo, cùm phrenesim timeret, iterum petiit personæ illius opem, quæ inter orandum pro ipso vocem audiit: *In pace in idipsum dormiet, & requiescat.* Ità factum.

5. Ulyssipone in Lusitania, anno 1590. P. Vascus Pirez, Lusitanus. Perfectionis, & conscientiæ munditiei tam erat studiosus: ut illam singulis examinaret. Paupertati tam addictus: ut ex Collegio Portuensi Ulyssiponem migrans pro Congregatione Provinciali, totum illud iter, pedibus, & victu emendicato sit emensus: cùmque ex longitudine itineris calcei essent disrupti, fasciis

ex

ex panno circumligatis eos restauravit. Erga DEI-param Virginem tenerrima ferebatur pietate, ab ipsa vicissim non paucis cumulatus gratiis, imo & aspetto dignatus. In festo Nativitatis DEI paræ dicebat, solere se singularem aliquem ejus favorem experiri. Visus subinde secreta cordium cognovisse, spiritu Prophetico afflatus, & cœlesti splendore circumfusus. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXII. SEPTEMBRIS.

**I.** **A** Nnō 2582. Gregorius XIII. Pont. Max. concessit Præposito Generali, ut Religiosi etiam Professi, ex Societate dimittendi, possint de ejus licentia transire non solum ad Carthusianos, sed ad quenvis alium Ordinem Religiosum, sive mendicantium, sive non mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris observantiæ; de consensu tamen superioris loci ejusdem. Prohibuit autem quibusvis aliis Ordinibus, præsentis Privilegii communicationem, & participationem. *Bullar. Soc. Constit.*  
*Cum alias, &c.*

2. Idem eodem anno, & die Societati concessit: ut Ordines suscipere possint nostri à quocunque Episcopo, communicationem Sedis Apostolicæ habente, etiam extra tempora à Jure statuta, & non servatis alijs requisitis interstitiis, neque facta inquisitione de cantu, officiis, & cæremoniis Ecclesiasticis idoneitate, ac proprii Ordinarii licentia. Indulsit insuper, ut non solum Minoribus, sed etiam Sacros, etiam Presbyteratus Ordines suscipere possint, tribus Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis. Prohibuit autem aliis ejusdem privilegii communicationem. Bullar. Societ. Constit. Pium & utile, &c.

*Eodem die obierunt.*

3. Nangasachi in Japonia, an. 1633. P. Michaël Pineda, Japon. Multis in patria pro animarum bono exhaustis laboribus, proscriptus inde secessit in Philippinas Insulas. Sed zelō stimulante Apostolicō, cum rediisset in Japoniam omnibus exquisitæ solertiæ artibus quaer-

rebatur ad necem. Metu percussus  
hospes, ad quem diverterat, non quidem  
eum prodidit, nocte tamen intempesta  
dimisit è domo inter crudissima frigora.  
Ab his aliisque incommodis contracto  
morbô, intrà triduum confectus est, hoc  
unum dolens: quod incruenta morte  
moreretur.

4. Jendi in Japonia, anno 1637. Jo-  
annes Yama, Coadjutor Japon. Inter  
continua vitæ, mortisque pericula, E-  
vangelio præstantem suâ eloquentiâ  
prætulit operam, per regna Japoniæ  
quaquaversum excurrens. Tentus, &  
diuturno aliquot annorum carcere ma-  
ceratus, civibus suis prodesse non de-  
stitut, cùm voce non posset, scriptis  
prædicando, & declarando fidei dog-  
mata. Japonico tandem suspendio è  
pedibus in scrobem pendens, sublatus  
est.

5. Madriti in Hispania, anno 1611.  
P. Petrus Ribadeneira, Hispanus. Puer  
se adjunxit S. P. Ignatio, apprime illi  
charus ob morum facilitatem, fervens  
ingenium, & egregiam indolem; à qui-

bis dotibus magnos fructus preventuros prævidit Ignatius. Nec se felli spes, Petrus enim missionibus plurimis laudatè functus per Italiam, Siciliam, Belgium Hispaniam. Collegia, & Provincias magnâ prudentiâ, & charitate rexit, bis Assistentis Hispaniæ munus obiit. Inter hæc, tot, tamque doctas edidit lucubrationes, ut nihil aliud per omnem vitam egisse videretur. Vixit denique in DEUM piissimus, Institutū observatissimus, nostris charus, externis commodus, Principibus gratus, nemini gravis.

### XXIII. SEPTEMBRIS.

**I.** Pater Joannes Mesquita in India à barbaris Badagis captus, & multis confixus vulneribus, anno 1560. mirabiliter evasit. Ut in ora Commorini promontorii Christianos margaritarum pescatores, Badagarum infestationi expositos, in tuiorem locum transportaret Prorex Christianus in procinctu erat. Verum Badagæ comparato celeriter exercitu prævenerunt, ac irruerunt.

runt. Lusitani in arcis præsidio vix  
 50. erant, eruperunt tamen, & vim ho-  
 stium fortiter sustinuerunt, donec tur-  
 ba lembis consensis exitio se eriperet.  
 Sed cum multitudini hostium resisten-  
 do non essent; quidam in mare se con-  
 jicientes, natatu evaserunt; alii, ac in-  
 ter hos P. Mesquita octo luculentis vul-  
 neribus saucius, abducti sunt in capti-  
 vitatem. Milites de sua, & Sociorum  
 libertate septem millibus aureorum pa-  
 ci, illico dimissi sunt, P. Mesquita ut  
 obses detentus, donec pecunia omnis  
 numeraretur. Quæ cum tardius affer-  
 retur, dirissimè habitus est, & ferrea ca-  
 tenâ in globum compactus. Misertus  
 viri Christianus adolescens, Michaël  
 nomine, ingenio promptus, & audax,  
 pretio corrupti fabrum, qui Patri com-  
 pedes injecturus erat, ut clavum, quo  
 stringuntur, faceret fragilem, & modi-  
 ca vi solubilem, comparavitque necef-  
 faria ad iter. Nocte intempesta salutis  
 compedibus, excubitoribus sopitis eva-  
 dunt, totisque septem diebus, & nocti-  
 bus, per sylvas, & faxa oberrant, in-

ter præsentissima vitæ discrimina, donec tandem extra Badagarum fines, ad Lusitanos pervenerunt salvi, sed vix animam trahentes. Tota salus post DEUM debebatur Michaëli, qui verè Angeli vices egit, & industria, & indefesso labore omnia explorans, & perrumpens. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 4. n. 206.*  
*&c.*

2. Annō 1611. diploma Ordinum regni Bohemiæ in gratiam Societatis editum in hæc verba : Nos, Henricus, &c. Percrebuit non solum in Pragensi civitate rumor, sed per malevolos etiam dissipatum est scriptum, contra Patres Societatis JESU Pragæ commorantes, quasi bellicum instrumentum, milites non paucos in patriæ communis perniciem collectos, & paratos haberent, ea nobis causa existit illorum collegii vestigandi, ac veritatem accurate indagandi, quod singulari diligentia à nobis ter fuit factum per spectatos, & exploratæ fidei viros, è tribus regni Ordinibus, Baronum, equitum, & ci-vium delectos, additis centurionibus.

Ab

Ab iis totum Collegium , sursum, deorsum perreptari , ac lustrari jussimus, ac, nè vestigium quidem apparatus belli- ci repertum est : milites vero multò mi- nus. Hinc apertè intelleximus hæc o- mnia contra memoratos Patres ex odio conficta , & per summam iniquitatem , atque injuriam , ut iis invidia conflare tur , in vulgus fuisse sparsa. Itaque cùm à nobis diploma testem innocentiae suæ , postulaverint , iis denegare , pro eo , quod impositum nobis est tuendæ veritatis munere , nec debuimus , nec voluimus. Quapropter hisce literis de- claramus , & testamur eos extra omnem hanc culpam esse , dissipatōsque de ipsis sermones fictos esse , scripta commenti- tia , & à veritate prorsus aliena , &c. Ju- vencius fol. 269.

*Eodem die obierunt.*

3. Laureti in Italia , annō 1590. P. Nicolaus Bobadilla , Hispanus , unus è decem primis Patribus. In Italia , Ger- mania , & Dalmatia doctè , utilitérque rem Catholicam gessit , laboribus con-

tentus, honoribus etiam insulatis à Ferdinandō Cæsare oblatis, religiosè repudiatis. Dum ægris serviret, peste contactus, cùm pro orthodoxis, & virtute variè satageret, capite vulneratus, ad indusium usque spoliatus, imò venenò appetitus est: sed his omnibus Apostolica generositate superior fuit, vir acri omnino ingenio, & zeli, ac pietatis pleno. In generalibus quidem comitiis aliquid turbarum dederat post obitum S. Ignatii, sed errorem tandem advertit, seriò resipuit, egitque religiosum, qualem sibi descripsérat, ut scilicet esset canis in dormitorio, columba in refectorio, cœcus in urbe, suspensus in cœlum, mutus in ira, cadaver inter mulieres, sibi amarus, aliis dulcis.

4. Compluti in Hispania, an. 1604.  
**P.** Gabriel Vazquez, Hispanus, vir summi ingenii, nec minoris in studendo laboris, ac diligentiae, quibus subsidiis tantum inter Theologos nomen consecutus, ut à viris magnis diceretur: *Hispanus Augustinus, ab aliis Sol Theologiae, Magister Magistrorum, Angelus vita, & intellectu;*

lectu; nec defuerunt Academiæ, quæ ejus doctrinam passim sibi sequendam elegerunt. Studiis literariis non minus junxit studium religiosæ perfectionis, utebaturque illis ut instrumento ad virtutum consecutionem, & implendum nomen *Doctoris Religiosi*. Labores ejus Scholaftici, & in S. Scripturam editi sunt Tomis 10. in folio.

5. Antverpiæ in Belgio anno 1626. P. Joannes Callant, Belga, contracta lue in obsequiis contagiosorum extinctus. Eodem, quo obiit tempore, animam ejus magna cum luce petentem in coelum vedit Anna de JESU Monialium S. Theresiæ Mater, idque suis narravit, antequam quidquam de morte P. Joannis posset resciscere.

## XXIV. SEPTEMBRIS.

I. IN Gallia, cum anno 1561. celebraretur conventus Poisiacus, ad inveniendam viam, qua reducerentur heterodoxi ad Ecclesiam, ingressus conventum Jacobus Lainius, Societatis Præpositus Generalis, qui cum Card.

Legato Pontificio in Galliam venerat jussu Pontificis, advertit, hæreticorum primarios ministros occupatis subselliis tumidè confidentes, dum Theologi Catholici rem agunt stantes. Non tulit rei indignitatem, egitque cum Legato Card. Ferrariensi, ut deinceps ea abominatio, & nota Catholicis illata tolle-retur. Egit Cardinalis, atque ex eo die hæreticis nulla facta est sedendi copia. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. l. 5. n. 198.*

2. Annô 1566. prima Societatis facta est expeditio in Americæ Regionem, *Floridam* dictam. Iverunt Petrus Martinius, & Joannes Rogerius Sacer-dotes, & Franciscus Villaregius rei do-mesticæ administer. Hoc die in con-spectum Floridæ venerunt, non tamen applicuerunt: sed placuit præmittere in terram immanitate barbarem explo-ratores quosdam, ex quorum relatione caperetur certius, & utilius consilium. Ægrè inventi, qui hanc spartam susci-perent, eam posuerunt conditionem; ut P. Martinius cum ipsis iret, cuius consiliō in dubiis, & auxiliō in spiritua-libus

libus uterentur. Ut id agi audivit P. Martinius , illico primus in scapham desiliit , & aliis ad sequendum animos fecit. Vix terras attigerant novem Belgæ , cum paucis Hispanis , & Patre ; mox coorta tempestas , navim , è qua exscenderant , procul ab conspectu abstulit , ac tandem in insulam Cubam compulit. Pater cum Sociis , cùm diu per desertam regionem oberrâssent , fere fame enecti , ad scapham iterum se receperunt lustraturi litora , si fortè in Hispanos alicubi inciderent. Sed cùm fames iterum illos ad terram applicare coëgisset ; Belgæ duo , qui exscenderant , à barbaris circumventi , & capti sunt ; P. Martinium robustior quidam , in scapha ipsa arreptum , ad litus deportavit , ubi omnes tres in conspectu Sociorum sunt trucidati : reliqui paulò post in navim Hispanam inciderunt , & excepti sunt , non tam sua sorte læti , quàm mœsti de amissso Patre , cuius stupendam charitatem erant experti. *Sacchin hist.*  
*Soc. p. 3. l. 2. n. 141. & seqq.*

*Eodem die obierunt.*

3. In mari, anno 1680. P. Georgius Fernandez, & P. Gomez Damaralius, Lusitani. Ambo in ea navigatione, quam Goâ Amboinum instituerant, à Javensibus barbaris, Christi, & Lusitanorum hostibus trucidati sunt, cùm Christianos in navi expiarent.

4. Moguntiæ in Germania, anno 1626. P. Joannes Falco, Germanus, Ecclesiastes ferventissimus, & in procurandis ægris pauperibus per Nosocomia indefessus. Non raro una die in templis urbium, & sacrariis variis, senas, septenásque conciones habuit, raro exemplo, nec urbium vastitate contentus, zelô Apostolicô rapiebatur ad pagos, & villas circumiacentes, solo pane, & caseo ad victum instructus, & ferventissimis Exhortationibus, & Catechismis, rudes impellebat ad probitatem. Votum emisit perarduum, quod nunquam suo gustui in cibo, potuque sit obsecrurus, sed soli serviturus necessitati, vitiatis omnibus superfluis, & vilioribus electis. Initio cujusvis mensis Rectori suo

suō se sistebat ; & de genibus renovatō  
Obedientiæ votō ei se pariturum pun-  
ctualiter in omnibus spondebat. Quo-  
tidie ante decubitum calceos de pedi-  
bus detractos , capiti imponebat, ut pro-  
fiteretur , dignum se pedibus omnium  
conculcari. *Ex Tann.*

5. In Brasilia , anno 1653. P. Joa-  
nes de Almeida , aliàs Mada , Anglus ,  
virtutum , & prodigiorum patratorum  
tantus : ut redivivus Anchieta videretur.  
Putridas jumenti plagas curans in tyro-  
cinio , collectos ex illis vermes , ut se per-  
vinceret , ori ingessit. Inter orandum  
non semel à terra sublimis visus est. Cùm  
obtrectantes quosdam alienæ famæ ,  
compescere non posset , tanto animi  
dolore æstuavit , ut plures viderint , illi  
è fronte cruentas erumpere guttas , &  
in terram usque defluere. Miracula e-  
tiam post mortem ab eo patrata , rite in  
tabulas sunt relata.

## XXV. SEPTEMBRIS.

1. **M**Alacam in India appulit anno  
1554. Novus Indiarum Apo-  
sto-

Stolus Xaverius, quò jam præcucurrisse  
 famam suam invenit. Effusa enim in  
 portum civitas, & quantum in ea erat  
 puerorum ( deliciæ Xaverii ) cum nu-  
 tricibus, & matribus, infantes in ulnis  
 gestantibus, vel manu trahentibus, san-  
 ctum hospitem excipere gestiebant.  
 Exscensione facta certatim irruunt, cir-  
 cumdant, gratulantur, salutant, beatos  
 se prædicant, manus ad osculum po-  
 scunt, & quidquid poterant familiaris  
 obsequii, depromunt. Ille sua illa a-  
 mabilissima charitate, modestiaque am-  
 plecti omnes, blandiri pueris, & infan-  
 tibus ; &, quod stupuerunt omnes,  
 quemque suo nomine compellare, ac si  
 non hospes terris illis primùm illatus,  
 sed complurium annorum civis fuisset.  
 In ipso igitur portu omnium corda oc-  
 cupavit, invitabaturque certatim ad  
 hospitia commoda : at ille more suo ad  
 Nosocomium divertit, non suæ commo-  
 ditati, sed ægrorum, operatus. U-  
 sus est in ea civitate Omnipotentiâ Di-  
 vinâ tam liberaliter, ut numeris mi-

raculorum iniri non potuerit. *Bartol.*  
*in vita lib. 2. num. 3. & seqq.*

2. Antverpiæ, anno 1576. tumultus gravissimus ex causa levissima coortus, Collegium involvit, ac ferè diruit. Comprehensi fuerunt innocenter Angli aliquot, quasi proditionis, & incendendæ urbis rei. Accessit rumor, quasi in Collegio arma deposuissent. Concurserunt ad duo millia civium, jāmque vim, & incendium Collegio Parabant. Socii inter prandendum acceptō nuncio de irruptione violenta, ad templum se receperunt morituri. Sed in tempore adfuerunt Proceres, qui se omnia fideliter scrutaturos polliciti, tumultum composuerunt. Ingressi Collegium, solati sunt trepidos, omissō scrutinio. *Sacchin. hist. Soc. part. 4. lib. 4. n. 114.*

*Eodem die obierunt.*

3. Ulyssipone in Lusitania, anno 1617. P. Franciscus Suarez, Hispanus, Theologorum Societatis, & recentiorum sæculorum facile princeps, à Paulo V, Pont. Max. in quaternis ad ipsum da-

datis literis *Doctoris Eximii*, titulō hono-  
ratus, à Scriptoribus plerisque magnis  
aliis elogiis celebratus. Theologicam  
Cathedram Sapientiae suæ oraculis per  
annos 40. exornavit in Hispania, Ro-  
mæ, & in Lusitania Conimbricæ, ho-  
norificentissimis literis iterato invitatus  
à Philippo II. Hispaniæ, & Lusitaniæ  
Rege. Philosophiam, & Theologiam  
illustravit Tomis 24. in folio, tanta eru-  
ditione refertis, ut non sinè fundamen-  
to persuaserint sibi non pauci divinitus  
illi infusam fuisse scientiam tantam.  
Nam, & universitas scientiarum subli-  
miorum illis conclusa videtur, & Fran-  
ciscus discendæ Philosophiæ applicatus,  
tam exiguo profectu, licet multo labo-  
re, illi incumbebat, ut sui pertæsus ipse,  
obnoxie sollicitârit superiores, ut tan-  
quam impar ingeniō, amoveretur à stu-  
diis. Verùm paulò post subitò tanta ei  
lux oborta est, ut qui heri fuerat po-  
stremus, hodie primus esset inter con-  
discipulos. Visi quoque postea sunt  
splendidi radii à Crucifixi effigie in o-  
rantis Suārii faciem, & pectus vibrari,  
ipso

ipso cubitis duobus à terra elevato. Eminentem viri doctrinam æquabat , si non superabat , morum Sanctimonia , quam latè prosequitur vita typis edita. Moriens exultabat , dicens : *Nesciebam tam suave esse mori.*

4. Ad Rhenum in Germania , annô 1620. P. Godefridus Thelen , Germanus, per iter ab hæreticis militibus captus, ac pessimè habitus, tanquam Papistæ idololariæ ( ut dicebant ) seminator; tandem sex amplioribus vulneribus acceptis , glande plumbea trajectus, occubuit. Vir erat orationis studio ità addictus, ut ab iis , qui ejus nomen ignorabant, vocaretur : *Ille Pater, qui tam frequenter , & ferventer orare consuevit.*

5. Gadibus in Hispania , annô 1651. P. Joannes de Armenta, Hispanus. Quadragesima amplius annis , in primariis Provinciæ Bœticæ civitatibus egit Ecclesiasten, summo plausu , & fructu , obiendo pariter munus Catechistæ in pagis vicinis. Capti piratæ Angliæ atque ad mortem damnati, decreverant obstinate in sua secta mori. Verum po-

stu-

stulatâ à Magistratu Societatis operâ, Pater Armenta tantâ industriâ, & vi dicendi eos aggressus est, ut posita hæresi Catholicè sint mortui. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXVI. SEPTEMBRIS.

**I.** **F**ESTUM B. Josaphat Ordinis S. Basili filii M. Archi-Episcopi Polocensis sanctissimi, & glorioſi Martyris pro Unione Ecclesiæ Ruthenæ cum Romana, quod hodie Regnum Poloniæ & M. Ducatus Litvaniæ celebrat, fuscitat in nobis memoriam illius affectus erga Societatem, quo dictitabat: *Se cum non habere pro bono Catholico, qui Societatem non amaret.* Idem cum in frequenti Nobilium consensu, præcipuæ nobilitatis virum acerbius ad mensam contra Societatis homines invehi audiret, graviter injuriâ Societatis commotus: *Apparet, inquit Magnifice Domine, Te non esse ex numero prædestinorum, qui tam sanctam Religionem adeò injuriosè carpere præsumis.* Lancicius Tomo 2. Opusc. 17. cap. 4. n. 211.

*Eodem*

*Eodem die obierunt.*

2. In Hispania, anno 1641. P. Petrus Continens, Hispanus. Vir erat sui nominis, non solum in materia Voti secundi, verum etiam in frenando, & continendo inquietissimo malo, lingua, cuius planè dominus fuit. DEI - paræ Virginis imagines in ambulacris particulatim singulas salutabat : Rosarium quoddam è puris Contritionis actibus recitabat. E Crucifixi effigie fixis in illam oculis, patientiam hauriebat in doloribus maximis, quorum conscius chirurgus, stupebat altum viri silentium imò illis illacrymabatur.

3. Bahyæ in Brasilia, anno 1654. Gaspar Almeida, Coadjutor, Lusitanus, staturâ perpusillus, sed religiosa virtute magnus. Tota virium, & ingenii contentione intentus erat in afflictionem corpusculi, jejuniis, verberibus, & insomniis exhausti. Ut prolixè oraret, malebat multum sibi de somno, quam parum de labore detrahere ; etiam tota nocte coram SS. Sacramento non raro im-

impendens orationi ; nec poterat illum dæmon vel terroribus , vel verberibus ab illa absterrere. Multis multa prædixit , eventibus fideliter subsecutis. Duo cibarii panis frusta cum pomis duobus pro lauto convivio illi erant ; pisces , carnes , & si quid aliud apponetur , dabat pauperibus cum superiorum facultate. Totam Quadragesimam continuatâ inediâ finè cibo duce-re tentantem vires defecerunt , cùm tertio die totus concideret , spiritu quidem promptus , sed carne infirmus. Coadjutorem ostio domûs præfectum , sed jam ægrum , & depositum , surgere jussit à lectulo , dixitque longum illi adhuc superesse tempus , quo ad ostium pauperibus operam daret. Surrexit ille , & per annos plures curam ostii , & pauperum gessit.

4. Augustæ Vindelicorum in Germania , anno 1627. P. Tobias Paumbgartner , unus è 6. Sociis , qui eo anno in Germania heroicas animas posuerunt pro populo , pestifera lue laborante. Annò autem 1656. Monasterii in Vestphalia  
P. Joan-

P. Joannes Fabritius, Germanus, Vir planè misericordiæ. Omnes preces, & sacrificia, quæ pro mortuo oblatura es-  
set Societas, obtulit animabus Purgato-  
rii, quæ frequentes cubiculo ejus ade-  
rant, opem poscentes. Ut vivis pau-  
peribus aliquid subsidii conferret, pre-  
tiō corrogatō æstate emebat ligna, quæ  
hyeme frigentibus distribueret. Ipse  
ardore charitatis, carbone pestifero con-  
sumptus decessit.

## XXVII. SEPTEMBRIS.

I. **P**AULUS III. Pont. Max. an. 1540.  
solemni diplomate incipiente  
*Regimini miliantis Ecclesie, &c.* approba-  
vit institutum Societatis, eamque sub  
nomine *Societatis JESU Religiosis Or-  
dinibus annumeravit, cum restrictione.  
quidem, ut non excederet numerum 60.  
Professorum; sed quam anno 1543. 15.  
Martii, ob ingentes fructus, quos per  
illam in Ecclesiam Christi fieri vidit,  
penitus relaxavit. *Bartol. in Vita S. Ig-  
natii lib. 2. n. 46.* Diem hunc eandem  
ob causam exquisitissimo apparatu cele-  
bravit.*

bravit in Æthiopia , anno 1624. Prin-  
ceps Abassynorum , & Imperatoris fra-  
ter , Zela Christos : quod censeret au-  
spicacissimum toti Reip. Christianæ , ob  
conditum Ordinem tanto opere , ac ze-  
lo promoventem in terris Regnum DEI.  
*Gomez in elog. part. 2. Clas. 2. n. 29.* Socie-  
tas ipsa memor tanti beneficii , in Con-  
gregatione VII. Generali Decreto 54.  
statuit : ut hic dies , peculiari venera-  
tione à nostris celebraretur in gratia-  
rum actionem pro ipsius Confirmatio-  
ne , & pro impetrando felici ejusdem  
successu ; proinde Patres omnes Sacra  
eo die peragenda offerrent , cæteri Ro-  
faria , aliisque preces , ac communio-  
nem sacram.

2. Annō 1622. Gregorius XV. lar-  
gitus est varias indulgentias nostris do-  
centibus , & externis discentibus vel  
promoventibus Doctrinam Christia-  
nam ( seu Catechismum ) tradi solitam:  
scilicet ut peccata confessi , & sacra  
Communione refecti semel in anno ,  
die constituto ab Ordinario loci , ple-  
nariam consequantur Indulgentiam ;  
item

itèm in articulo mortis, ad invocationem SS. Nominis JESU, saltem corde : præterea quovis menfe annorum 7. & totidem quadragenarum. Qui verò in causa fuerint ; ut pueri , famuli , aut quævis aliæ personæ ad doctrinam Christianam eant , ducentos dies ; & qui diebus Stationum urbis hanc doctrinam in Ecclesiis , aut Oratoriis , de Ordinariorum licentia docuerint , ac etiam illi , qui ad eandem descendam accesserint , easdem Indulgentias consequantur , quas consequerentur , & consequi possent , si Ecclesias Stationum eiusdem Urbis personaliter visitarent &c. Bullar. Soc. Constit. incip. Pietatis , & Christianæ Charitatis , &c.

*Eodem die obierunt.*

3. Ingolstadii in Bavaria, anno 1606.  
 P. Theodoricus Canisius, Belga, Frater  
 P. Petri Canisii. Dixerat hic aliquando illi : Vide Theodoricus, quid tibi mortis meæ nuncius sit allaturus. Dictio-  
 nem eventus explicuit. Nam P. Theodo-  
 ricus, audita super mensam in triclinio

nio morte P. Petri subito stupore, velut apoplexiā, ita obriguit: ut omni, etiam sui nominis, memorīa sit destitutus, atque per annos octo, hoc est, usque ad mortem, nec legere jam nōsset, nec loqui, nisi duo illa sanctissima Nominia, JESUS, MARIA. Hæc quoties vellet, expeditè pronunciabat, & iterabat. Sub mortem tamen illa verba disertè protulit: *Ad cælum, ad cælum!* & JESUM dixit, cui cùm MARIAM addere inciperet, vita ipsum defecit. Sæpe Crucis signum fronti imprimebat æger, & ajuuit in fronte mortui figuram Crucis conspectam fuisse.

4. Cracoviæ in Polonia, an. 1612.  
 P. Petrus Scarga, Polonus. Ex Prælato factus Romæ tyro Societatis, legum ipsius apices in moribus expressit, spiritum in perorando ad populum. Inter primos Poloniæ Concionatores facile princeps erat, habéntque etiamnam eum spiritum, & gratiam ejus Conclaves typis editæ, ut semper placeant, moveantque, nunquam satient, quamvis singulis annis lectæ in tricliniis nostris. In aula regia

regia citra pompam , citra ultum pauperatis, vel religiosæ disciplinæ dispensandum , aut laxamentum per annos 24. versatus est. Octo ante mortem annis ægro P. Petro comparuit P. Stanislaus Varsevitus jam olim defunctus , suaque, ut plures, quam unum vitæ annum à DEO postularet. Supremum æger Beatissimæ Virgini Claromontanæ certum candidum ipse confecit, misit, & accendi jussit , & ubi ille consumptus ardere desiit, P. Petrus desiit vivere.

5. Nissæ Silesiorum , anno 1633. P. Stephanus Fodor , Bohemus , vitæ suæ pro salute proximi contemptor, inter annos 17. Socios sæviente per Bohemiam contagione, ægris omni ope subveniens optatam mortem consecutus est. *Ex Tann.*

6. In Anglia, anno 1655. P. Andreas Vitus, Anglus. Suscepta navigatione in Americam, primus Christi fidem intulit in Marilandiam , Americæ Septentrionalis provinciam , sitam inter Virgineam , & Novam Franciam . Ibi cum decennio insigni cum fructu labore  
1âsset;

râsset ; ab Anglis captus, in Angliam deportatus, & in carcerem conjectus est. Tandem ex Anglia proscriptus, cùm iterum in Marilandiam suam penetrare satageret, nec modum ullum reperiret : in ipsa Anglia inter labores Apostolicos reliquum vitæ exegit. *Sotuell.* *in bibl. Societ.*

### XXVIII. SEPTEMBRIS.

1. **U**Lyssipone anno 1540. epistolam dedit S. Xaverius ad Doctorem Martinum Azpilcuetam Navarrum : qua imprimis prolixè illi agit gratias pro concepta erga se benevolentia : deinde ad complura Doctoris interrogata de Instituto Societatis respondit, de his plenè satisfacturum, ubi occasione data coràm agere licuerit; denique subjugit : Ad id, quod epistola tua adjungit : *Multa pro hominum consuetudine de nostro instituto dici. hoc tantum in præsentia repono.* Parùm refert, Doctor egregie, ab hominibus judicari, præsertim ab iis, qui pejus judicant, quam intelligant, &c. *Epist. Veter. lib. 5. ep. 5.*

2. Salmanticâ Romam anno 1600.  
epi-

epistolam dedit R. P. Joannes Marquez  
 Augustinianus S. Theol. Professor in  
 Academia Salmant. ad R. P. Baptist.  
 Plumbinum Generalem Augustiniano-  
 rum Procuratorem, & Consultorem  
 Congregationum de Auxiliis gratiæ: in  
 qua ei prolixè commendat P. Molinam,  
 & doctrinam ejus; eò, quod nihil omni-  
 no appareat in operibus ejus, quod non  
 hominem in primis Catholicum, & con-  
 summatè eruditum suboleat: quæ est,  
 inquit, nostræ familiæ communis de il-  
 lo æstimatio. Addit deinde: *Et quod*  
*ad punctum de physica præmotione spectat;*  
*arbitror citra controversiam esse, nunquam*  
*à S. Patre nostro Augustino cognitam fuisse,*  
*nee ei in mentem venisse.* Concludit  
 postea: si fortè alicujus propositionis  
 Molinianæ, quæ deferatur ad suam  
 Sanctitatem vestra Paternitas Cenfor-  
 nominetur, rogo quam vehementer  
 possim, adfaveat, quoniam meo judi-  
 cito liber ille doctrinam valde sanam, &  
 per omnia conformem Parenti nostro Augu-  
 stino continet; & dicto Patri plurimum  
 Pars III. R debet

debet Ordo noster. *Eleuther. bift.de Aux.*  
*lib. 2. cap. 11.*

*Eodem die obierunt.*

3. In Æthiopico itinere, an. 1625.  
 P. Franciscus Macciadus, & Pater Bernar-  
 dus Pereira, Lusitani. Sultano Se-  
 quedo, Æthiopiæ Imperatore Catholi-  
 cis adjuncto, ad spes per amplas in bo-  
 num Ecclesiæ promovendas, cùm pro-  
 ficerentur in Æthiopiam ; à Mu-  
 metano quodam Principe intercepti,  
 diò fidei interempti sunt.

4. Cocuræ in Japonia , anno 1633.  
 Thomas Riocan , Ludovicus Cafuci ,  
 Dionysius Jamomoto, Japones, primùm  
 in exilium ejecti, cùm in patriam redif-  
 sent, & impigri prædicando Evangelio  
 insisterent, comprehensi, lento igne  
 cremati , refrigerium meruerunt in  
 cœlo.

5. In insula Tatacurana Indiæ Occi-  
 dentalis, anno 1566. P. Petrus Marti-  
 nez, Hispanus, cùm investigaret terras,  
 quibus Evangelii semen injiceret ; à  
 barbaris cæstactus è scapha, flexis geni-  
 bus,

bus, manib[us]que in c[elum] elatis, capite clavâ confracto, mortem, quam optabat, quāmque prædixerat, est adeptus. Post mortem ægris variis salutarem attulit opem, uti & pluviam terræ sitienti.

6. Oetingæ veteris in Germania, anno 1634. P. Matthias Maile, Germanus, post annos complures educandis Bavariæ Ducibus impensos, pestiferorum obsequio se addixit, illique cum Sociis 80. in diversis Germaniæ partibus est immortuus. Inter honores aulæ solebat pauperum usibus calceos suere, atque reficere.

## XXIX. SEPTEMBRIS.

1. **C**Um in insula Mauro, inter summas difficultates, & pericula Evangelium intrepidè prædicaret S. Franciscus Xaverius, atque in festo S. Michaëlis Archangeli Sacrificium Deo offerret, tanti horrendo concussu, crebrisque impulsibus terra movit, ut metuerit, nè altare suisque deque vertetur. Nimirum pugnante iterum Archangelo pro Christo, Satan furi-

bundus , ut in energumenis solet , vi-  
etum se , ac sede cedere fatebatur . Ces-  
sit verò felicissimè ibi Xaverio , licet a-  
pud barbarissimos , prædicatio , multis  
millibus ad Ecclesiam aggregatis , &  
urbe Tolo , quam vigesies quinquies  
millia hominum incolunt , cum adja-  
centibus oppidis ad Christum conver-  
sis *Bartol. in vita lib. 2. n. 23.*

2. Eodem die post annos aliquot ,  
idem S. Apostolus evangelicâ tubâ  
classicum canere incepit in Japonia ,  
sub auspiciis S. Archangeli , contra Or-  
ci Satellites . Quasi primum prælii  
campum sibi delegit urbem Saxumam ,  
siisque illa ingenita comitate facilè Re-  
gem induxit , ut annueret ; Bonzium  
quoque primarium , à quo responsa  
pro oraculis excipiebantur , ideoque  
*Veritatis Cor* appellabatur , ita sibi de-  
vinxit , ut quamvis in Religione non  
posset habere sequacem , haberet tamen  
laudum suarum eximum præconem .  
Nec fuit labor prædicationis sine fru-  
ctu , conversis ad Christum etiam Bon-  
ziis aliquot , *Idem ibid. lib. 3. n. 11. &*  
*seqq.* 3. Ro-

3. Romæ anno 1558. jussu Pontificis Pauli IV, in templo Domus Professæ chorus haberi cœptus. Cùm dubitaretur, quonam cantūs genere utendum esset, ipsemet Pontifex significavit, fore sibi gratum, si absque varietate vocum, musicōque concentu Officium absolveretur, & chorus similius esset pronunciantibus. Sic ergo obedienter cœptum est, & paulò post feli-citer desitum, superis alia obsequia à Societate requirentibus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 2. n. 84.*

4. Collegii Monachiensis templum à Guilielmo Bavariæ duce magnifice constructum, solemnibus ceremoniis consecratum est, & hac die apertum anno 1591. sacra luce Michaëli, cœlestis militiæ Principi, cui dedicatum erat. Ea lux literariis ludis, & spectaculis celebrata, nec non regali epulo, quō primores civium idem Guilielmus accepit in Collegii novis ædibus, à se pari munificentia conditis, ornatisque. Cùm verò deprecarentur Patres, ut liberalitati modum poneret, solebat il-

**E**s subirasci , apertè professus , se non modò Bavariae Collegiis , sed universæ Societati parentis locò esse velle.

*Eodem die obierunt.*

